(5

ANTIQUITATIS MUHAMMEDANAE

MONUMENTA VARIA

EXPLICUIT

C. M. FRAEHN, Eq.

PARTICULA II.

Inscriptiones

Thecae Koranicae Kasimowiensis, Lampadis Bylâriensis, Pallii et Tibialium Imperatt. Germ. Inauguralium, Kiblae Templi Cath. Cordubensis, Speculorum aer. Bylâriensis et Samarowiensis, Talismani Kasanensis, Astrolabii Norimbergensis, et Cod. Lat. Evang. Luneburgensis.

ACCEDUNT TABULAE AENEAE TRES.

Ex Actor. Acad. Imp. Scient. Petrop. Vol. VIII.

PETROPOLI MDCCCXXII.

Litteris Academicis.

Imprimatur.

Fuss.

URAS - MUHAMMEDIS CHANI KĀSIMOWIENSIS,

QUAE IN ACADEMIAE IMP. SCIENT. MUSEO ASIATICO ASSERVATUR,

THECA KORANICA (1)

INTERPRETATIONE ILLUSTRATA.

Theca argentea dodrantis admodum pondo (2), cujus magnitudinem et figuram, quae parallelepipedum refert, Tabula XIII. sistit. Areolae titulos Arabicos continentes inauratae sunt unà cum ipsis litteris. Reliqua thecae superficies ornamentis Arabicis, quae vulgo dicuntur, praedita, et infuscata. Quod in supremo operculo palà inclusum argenteà cernitur sigillum (T. XIII. N° 17) ex lapide lazuli est. In ejusdem operculi parte anteriore quae conspicitur gemma (N° 18), chrysoprasus est, rudi Minervà politus. In supremo operculo duo foramina sunt, item unum in imo thecae. Etiam utrumque thecae latus, dextrum et sinistrum, prope operculum perforatum est.

(1) Ex notulà aliquà, quam in MSpto *Kehriano*, inscripto: *Regulae hermeneuticae in versionibus realibus s. sensualibus textuum Orientalium observandae*, et in Archivo caussar. imp. exter. Mosquensi asservato, deprehendi, perspectum habeo, hanc pyxidem olim Comitis *de Bruce* fuisse et ex ejus Museo ad Academ. Scient. transiisse, (anno scil. 1736. v. *Bacmeister Versuch über die Bibliothek* &c. p. 98.)

(2) 71 золотниковъ.

Inscriptiones, quae per omnia sex latera diffusae, hoc ordine disponendae atque hoc legendae sunt modo.

1

بسم الله الرّحمن

2

الرّحيم سنة ١٠٢١

3

الله لا اله الّا هو الحىّ القيّوم لا تأخذه سنة

4

[سنة] ولا نوم له ما فى السّموات

5

وما فى الارض من ذى الذى

6

يشفع عنده الّا باذنه يعلم ما

7

بين ايديهم وما خلفهم و

8

لا يحيطون بشىء من علمه الّا بما شاء وسع كرسيّه
السّموات والارض

9

ولا يؤده حفظهما وهو العلىّ العظيم يا الله يا محمّد يا علىّ

10

بســـم الله الرّحمن

11

الرّحيم ناد عليّاً

12

مظهر العجائب تجده عو(ناً) لك

13

فى النوائب كلّ همّ وغمّ سينجلى

14

بنبوّتك يا محمّد بولايتك

15

يا علىّ يا علىّ برحمتك يا ارحم الرّاحمين

16

اوروس خان
ولد قويروچوق خان
ولد براق خان ولد جانى
بیک خان ولد یادیگ خان
ولد شيغلى (شيغاى؟) خان ولد
اوندان سلطان و
لد اوراز محمّد خان

17

1

In supremo operculo:

In nomine Dei miseratoris

2

ibid.

misericordis. Anno 1021 (3).

3

in latere sinistro thecae:

Deus (Allah), *non est deus praeter ipsum, semper vivum et per se subsistentem; ei nec somnus obrepit*

4

in latere inferiore:

[*somnus*] *nec sopor. Ejus est, quidquid in coelis*

5

ibid.

et quidquid in terrâ exstat. Quis est, qui

6

in latere dextro:

apud eum, nisi ipso annuente, intercedat? Novit quaecunque

7

in operculi anterioris Areolâ oblongâ:

coram iis sunt et quae post eos (4); *et*

---

(3) Scil. Hedschrae, seu anno p. C. n. 1612.

(4) i. e. et praesentia et praeterita cum futuris.

8

in thecae latere anteriore:

eorum, quae ipse novit, nihil, nisi quod vult, mente comprehendunt. Thronus ejus coelos terramque late capit;

9

in thecae latere posteriore circa medii circuli inscriptionem:

nec utriusque gerenda cura ipsum procurvat. Estque celsus et magnus. O Allah! o Muhammed! o Åly!

10

in operculi anterioris circulo dextro:

In nomine Dei miseratoris

11

in operc. anter. circulo sinistro:

misericordis! Inclama Ålyum;

12

in thecae lateris posterioris circulo dextro supremo:

illum, in quo mirabilissima quaeque sese manifestârunt: experieris eum tibi adjutorem

13

ib. in circulo sinistro superiore:

in vicissitudinibus calamitosis. Omnis angor et moeror discutietur

14

ib. in circ. dext. infer.

per prophetiam tuam (5), *o Muhammed! per Welajatum tuum* (6),

---

(5) i. e. eo quod propheta Dei es, o M.

(6) i. e. eo quod *Wely* s. amicus aut vicarius Dei es, o 'Aly.

15

ib. in circ. sin. inf.

o Aly! o Aly! per misericordiam tuam, o omnium summe misericors!

16

ib. in medio circulo eo, cujus marginem quae ambiunt sub N° 9 dedimus:

Urus - Chan
genuit Kuïrutschük - Chanum,
(hic) *genuit Barak - Chanum*, (hic) *genuit Dschani-Bek - Chanum*, (hic) *genuit Jadik - Chanum*,
(hic) *genuit Schifaï - Chanum*, (hic) *genuit*
Aündan - Sultanum, (hic) *genuit Uras - Muhammed - Chanum.*

17

Sigillum in supremo operculo, litteris retrorsum spectantibus,

cujus titulum etsi non sit quod imperspicuum dicas, uno quidem loco paullulum laesum, mihi tamen *nunc quidem* non contigit, ex dispersis ejus vocabulorum litteris sensum cruere idoneum. Tempore docebor, nunc intermissa supplere.

Hae sunt, quae hac in capsulà leguntur, inscriptiones ad unam omnes Arabicae, et pleraeque scripturà *Sülüs - dscherisi* dictà, distinctiore illà quidem in Koranicis, exaratae. Numeris 3, 4, 5, 6, 7, 8 et 9 quae continentur, si a N. postremi vocabulis sex extremis recesseris, e Surà II, v. 256 desumta sunt et in Talismanis passim occurrunt, quibus itaque immorari nihil attinet. Non notabo nisi vocabulum سنة (*somnus*) in N°. 4 a sculptoris incurià male repetitum, item من ذی in N°. 5 pro من ذا perperam positum.

Quae in N. 10, 11, 12, 13, 14 & 15 leguntur, rudiore illa charactere exarata, potissimum ad 'Alyi implorati virtutem prae-

dicandam spectant, cujus ejusdem brevis imploratio etiam in extremo N°. 9 deprehenditur. In illis haec sunt, quae notanda videntur.

N°. 12 عو negligentiâ sculptoris pro عونا exaratum censeo; quamquam, absque Tanwino (ٍ) foret, عونك pro مولك legendum dixerim. Porro N°. 14 يا محك scriptum pro يا محد, extremâ scil. litterâ *d*, ut passim in numis Tataricis, globulo • auctâ, atque hoc ipsum يا محد, quod بنبونك subjungendum erat, haud scio an ob circuli rationem postpositum بولاينك, quod ad Alyum pertinet. Postremo moneo, vocabula برهنك يا ارحم الراهبن (N°. 15) dubitanter a me posita esse. Sunt omnino obscuriora — a spatii angustiâ, ut videtur — neque tamen aptius quid suppetit. Id quoque monendum, ordinem in his turbatum videri. Nam ut supra legimus: يا الله يا محد يا علي, nec non in numis: لا اله الا الله محد رسول الله علي ولي الله, sic etiam hic Deum Muhammed, Muhammedem autem Aly excipere et hic quidem ordo servari debuisse videtur: برهنك يا ارحم الراهبن بنبونك يا محد بولاينك يا علي يا علي

Postrema برهنك يا ارحم الراهبن ut dubitationem aliquam habere dixi, ita quidquid hujus inclamationis antecedit alio modo legi posse nego. Fuere tamen, qui hanc ipsam precatiunculam, in aliis videlicet etiam monumentis obviam, plane diverso modo legendam censerent. Adi *Memorias de Litteratura Portugueza publicadas pela Academia Real das Sciencias de Lisboa*, Tomo V, ubi a rev. P. Joaõ de Sousa in *Memoria de quatro Inscripções Arabicas* &c. p. 367 schedula, (7) in vico Palmellae reperta, in medium proponitur aere expressa et ipsius interpretatione aucta. Repraesentavit id hunc fere in modum:

---

(7) Auctor dicens: *huma Cedula ou Sinete*, quid fuerit parum constituit, nec ex quâ materiâ compositum sit, indicavit. Credo Talismanum fuisse.

ناد علينا مظهر العجايب فى

نجده عوناً لك النوايب سيخلى

كل امر وعمر لولانك على

يا على يا على يا

١٠٧٠٤

atque haec ita vertit:

Chamou-nos (á sua Lei) *o Manifestador das maravilhas,*
Em cujo soccorro consiste o teu alivio nas adversidades,
Todas as coisas, e a mesma vida se acabára,
Se Vós naõ fosseis, ó Altissimo, Altissimo, Altissimo.
Anno de 174 da Hegira ([8]).

Addit rev. P. de Sousa, characteres hujus inscriptionis Orientales esse, non Africanos; cujus quidem rei caussam a turbà miscellaneà militum, qui ex variis Asiae plagis ad Mauros Africanos Hispaniam expugnantes confluxerint, repetens ([9]) nodum in scirpo quaerere mihi

([8]) Haec latine reddere non alienum fuerit:
Vocavit nos (ad legem suam) *miraculorum patrator,*
Cujus in auxilio habes levationem calamitatum;
Omnis res atque ipsa vita periret,
Absque te foret, o altissime, altissime, altissime!
Anno H. 174 (qui cum anno p. C. n. 790 congruit).

([9]) En tibi ipsius verba: Os caracteres saõ Orientaes e bem feitos. — Talvez que cause reparo o serem os caracteres da sobredita cedula Orientaes, e naõ Africanos, tendo os Reinos de Hespanha e o de Portugal sido conquistados pelos Mouros de Africa, cujos caracteres saõ muito differentes dos Orientaes: porém este reparo se póde desvanecer com o que da historia daquelle tempo sabemos, que para a mesma primeira conquista feita pelos Mouros de Africa, assim como para as outras concorrêraõ ás Hespanhas tropas de todo o Oriente; parte mandados pelo Califa Walid, parte voluntarios com o interesse do saque, e parte finalmente para se estabelecerem nos paizes conquistados, e estes ultimos eraõ de differentes nações. Turcos, Persas, e Arabes.

videtur. Nam non est, quod hunc Talismanum Arabicum, licet in Lusitaniâ repertum, ibidem exaratum esse sumas. Adde, quod anno 174 aerae Muhammedanae, ad quem cl. de Sousa retulit, multo posteriorem hanc inscriptionem esse vel recentior scripturae modus arguit, qui is est, ut non dubitem aere notam legere ١٧٤ — 1074 i. e. a. Chr. 1663; nil enim impedit, quominus primum punctum pro zero, alterum pro ornamento superfluo habeas, quale in ipsis aerae notis convenientiae servandae caussâ haud raro adjectum fuisse et adjici, alio loco ex ipsis monumentis fidem faciam.

Ill. Liber Baro de Saey in *Mémoire sur quelques Inscriptions Arabes existant en Portugal* (10) tum anni notam subscriptam vitiosam et pro ١٧٤ – 174 legendum esse ٦٧٤ – 674 censet, tum inscriptionis lectionem et interpretationem a docto Lusitano propositam minus recte habere monet. *Le P.* de Sousa (inquit) *n'a pas compris la disposition des mots de cette légende, qui forme quatre vers ou incises rimées* (11), *et doit être lue ainsi :*

ناد علينا مظهر العجايب

نجدةً عوناً لك فى النوايب

كل امر وغم لولا انك سيغلى

يا على يا على يا على

O toi, qui fais paroître les prodiges, dis à haute voix, en notre faveur, ces paroles :
Courage et secours à toi dans les coups de l'adversité.

(10) Vid. *Histoire et Mémoires de l'Institut royal de France. Classe d'histoire et de littérature ancienne.* T. II. p. 614.

(11) Mihi quidem P. de Sousa hujus epigraphes dispositae rationem bene percepisse videtur, teste et ipsius versione Lusitanâ et adjectâ notâ hac: A collocaçaõ he metrica e elegante, segundo o genio daquella Naçaõ.

N'étoit toi, toute chose et toute vie périroit,
O très-haut! ó très-haut! ó très-haut!

Adi denique ill. Hammeri de Muslimorum Talismanis Commentationem (*Fundgruben des Orients*, Vol. IV. p. 163), ubi vir doctissimus inter Talismanorum Persicorum titulos hunc etiam, ut unum de frequentissimis, hoc modo laudat:

يا عليا مظهر العجائب تخذه عنّى (?) فى بالك النوائب

كلّ يتمّ وعمر يستجلى مولايتك يا على يا على يا على

„*O Ali! Gegenstand der Wunder, nimm auf von mir in dein Herz die Unglückszufälle. Alles endet, so auch das Leben; nur deine Herrschaft wird stets verklärt, o Ali, o Ali, o Ali!*"

Verum enim vero nulla harum lectionum interpretationumque stare potest; id quod probare fas duco.

ناد عليا, ita si legendum foret, tantum abest, ut cum primo docto inteprete vertere liceat: *chamou*[12]*-nos* (á sua Lei) — id arabice dixeris دعانا — vel cum ill. Parisiensi: *dis à haute voix, en notre faveur*, ut potius denotet: *altâ voce offer nos venales!* Hanc verbi ندا in f. III. cum على constructi potestatem exempla probabunt Makris. *de monet. ed.* Tychs. p. 41. 'Abd-ul-latif *mem. Aeg.* ed. 8°. p. 134. Elmacin. p. 63. — Hammerum vero doctissimum, legentem يا عليا fugit littera د alio versus transposita, et vertentem „*o Ali!*" adsensu non excipit Grammatica, quae hac in caussâ Nominativum flagitat.

مظهر العجائب *o manifestador das maravilhas*, — *qui fait paroître les prodiges.* At عجائب *res mirae*, *admirabiles*, potius

(12) Ergo Imperat. III. vel Partic. I. cum ندا vel نادى confusum!

quam ipsa illa, quae nobis vulgo audiunt, *prodigia* vel *miracula edita* esse videntur. Haec si innuisset Arabs, quidni vocabulo كرامات vel معجزات potius usus fuisset? Nec مظهر hic pronuntiandum مُظْهِر, sed مَظْهَر. Hoc autem denotat *locum in quo aliquis vel aliquid se conspiciendum praebet*, (veluti in Schems-ed-dini Damasceni نخبة الدهر pag. 52: *haec terra fuit* مظهر الحكماء والانبياء *sapientium et prophetarum quasi campus*), amatque ad homines transferri, in quibus quasi praesentis Dei favor conspicitur, (id quod Hammeri interpretatio „*Gegenstand der Wunder*" innuere videtur); quae ejus significatio quo rarior apud scriptores Arabicos antiquae memoriae esse videtur, eo frequentior apud recentiores, potissimum autem apud Persas Turcasque, offertur. Adi sis Meninskium. Ego hoc vocabulum passim in Persarum et Turcarum recentiorum annulis signatoriis deprehendi, veluti in his, quae *Musei solitarii augustiss. Imperatoris Russ.* sunt: مظهر فيض الهى خليل *Chalil, in quo Dei gratia effusa manifestatur.* مظهر لطف الهى عبد الرحمن *Abd-ur-Rahman, in quo* (tanquam in scenà) *favor divinus sese conspiciendum praebuit.* للطفك مظهر اوله يا رب شاهين *tuo favore*, o *Domine! dignus sit Schahin.* Atque in hunc modum annuli signatorii lectio ejusque interpretatio in Hottingeri *Cippis Hebraicis* p. 156 corrigenda. Quae ibi transcripta معصر اللطف الاه يعقوب et versa sunt: *optimum fortalitium Deus Jacobi*, ea lege verteque: مظهر لطف الاهى يعقوب *Jacobus, in quo gratia divina sese manifestavit.* Nostrum igitur مظهر العجائب eum indicabit, *in quo singularissimae quaeque virtutes, mirabilissima quaeque sese exseruerunt*, qualia de Alyo a poëtà aliquo Persà praedicata legere est in *Voyages de* Chardin, *ed. de* Langlès, T. II. p. 439 sqq.

Porro pro نجدة *courage* (quod si recte haberet, ob sequens عونا potius *auxilium* verteris) haud scio an rectius dicendum fuisset بنجدة; quamquam hac in caussà vel Accusativus ferri posset. At

pro نجدة عونا quidni dicendum erat نجدة وعونا? Dicunt quidem Arabes الخزر الخزر vel النجاء النجاء, sed non dicunt السمع الطاعة, حبا كرامة, مرحبا سهلا, imo copulâ و jungunt السمع والطاعة &c. Nec ill. Vindobonensis iis, quae h. l. legit تخذه عنى (?) فى بالك النوايب et vertit: *nimm auf von mir in dein Herz die Unglückszufälle*, ex linguae Arabicae usu fidem fecerit. Et pronominis ه in تخذه non habita ratio est, et locutio Arabica اخذ عنه شيا potius significat: *accepit* i. e. *hausit*, *addidicit ab aliquo aliquid*, *aliquam scientiam;* neque تخذه فى بالك quî sensum, quem iis hîc attributum legimus, admittant, intelligitur.

Quae sequuntur apud ven. de Sousa et ill. de Sacy, linguae Arabicae rationi non magis consentanea sunt. لولا انك — si utique sic legere liceret (alterum enim ا, quod apud de Sousa non cernitur, tacens de Sacy inseruit) — nec adjectivo nec verbo sequente quî admitti possit, equidem non video. Poscebat illud omnino معين vel simile quid sibi addi: *tu nisi adjutor adesses*, seu *absque te adjutore foret* —. Ut autem id exprimatur, quod versiones habent: *se vos naõ fosseis, n'étoit toi,* dicendum erat لولا انت vel لولاك.

Etiam in ستخلى offendo; nam, utut significatio *pereundi* hac in caussâ ferri queat, crediderim potius scribendum fuisse لولا انت لخلى كل امر. Lectio autem et interpretatio in *Fodinis Orient.* obvia مولاينك (? يستنجلى) يستجلى „*nur deine Herrschaft wird stets verklärt*" cum priori verbo notionem Christianam attribuit, tum altero, alieno illo, Arabismum auget.

Tandem العلى vel على passim quidem tanquam epitheton Dei occurrit; at Deum implorans Muhammedanus يا على vix dixerit

propterea, quia hoc **ambiguitate non** caret. Recte **Hammerus** vertit: *o Ali!*

Universam autem sententiam ex prioribus quidem ortam lectionibus si specto, fateor eam mihi valde suspensam videri, nec quid sibi velit satis intelligo.

Mihi certum est, quam quod certissimum, ill. de Sacyum, quo litterarum Arabicarum peritiorem inter Christianos frustra circumspicio, illa non posuisse, si ipsum Talismanum, non vero solam ejus imaginem in Memoriis Academiae Olisiponensis vulgatam, oculis lustrandi copiam fuisset nactus. Haec autem ejus imago non potest non perperam habere, sive quod ven. de Sousa artifice minus accurato usus est (expertus scio, quam malâ fide vel probi sculptores haud raro in delineandis ejusmodi inscriptionibus exoticis agant), sive quod ea, quae, in Talismano fortasse minus distincta, ipse secus legebat, ad suam accommodata sententiam delineari jussit, cujus et ipsius labis Palaeographia Arabica sane non eget exemplis. Apparet autem, quam facile ven. de Sousa علينا pro عليا , تجد pro بولاينك pro لولانك , غم pro عمر , هم pro امر , سينجلى pro سبغلى , تجك in titulo fortasse minus distincte exarato legere sibi videri potuerit. Pertenui illa discrimine inter se differunt, sive puncta diacritica sive litterarum ductus spectes. Nec illustris Vindobonensis, doctrinae Orientalis peritorum Germanorum coryphaei, interpretationem, nisi a titulo minus distincte et dispersis, ut fit, litteris syllabisve exarato proficisci potuisse, persuasissimum mihi est; unde factum, ut تغزه pro تجك , نجك عنى فى بالك pro عونا لك فى , يتم pro هم , يستجلى pro سينجلى , et مولاينك pro بولاينك legeret. Non dubitabunt viri isti praestantissimi suam hujus precatiunculae interpretationem ad meam supra in medium prolatam refingere.

Jam illi a me positae quo certior fides accedat, subsidio venisse gaudeo Talismanos duos, alterum a cl. Marschall Wiburgensi Museo augustissimi Imperatoris Petropolitano solitario haud ita

pridem illatum et ab ill. **Koehlero**, collegâ optimo, mecum communicatum, alterum nuperrime a cel. Doctore Pandero ex Bocharià allatum et Museo Asiatico Academiae donatum. Uterque e lapide chalcedonio confectus, تسلیم طاش, qualem Derwischi Bektaschici e collo suspensum gestare solent, esse videtur. Uterque scripturâ nitidissimâ eâdemque distinctissimâ eandem sententiam prae se fert. Priorem quidem ut aeri incidendum adhuc curare potuerim, per tempus licuit. Habes ejus imaginem in Tab. XIII. litt. *a* insignitam. Duo falcones, quos videtur flos alto scapo intercedere, repraesentat. In dextro illo integra Sura CXII. legitur, additis hisce exclamationibus: یا رحمن یا رحیم یا غفار i. e. *o misericors! o clemens! o condonans!* In medio flore supra est: الله اکبر *Deus est maximus;* infra autem: مدد *auxilium!* i. e. succurre! In falcone sinistro precatiuncula, quam cum maxime tractamus, adeo distincte expressa legitur, ut dubitationi jam non relictus sit locus. — Alter, e Bocharià advectus, orbiculatus in oblongum est, nostramque precatiunculam eodem, quo in Talismano Palmellano factum, modo abbreviatam margini inscriptam exhibet; in mediâ autem areâ symbolum *Sunniticum:* لا اله الا الله محمد رسول الله

Quod reliquum est, sextum hujus precatiunculae adducere juvat exemplum, diu quidem illud vulgatum, sed ignoratum. Exstat in beati Herbinii *Développemens des principes de la langue Arabe moderne*, Tab. IX. B. Nam quae ibi sub leonis figurà latent ab Herbinio, viro juvene praestantissimo, non explanata, ea, ut recte monet Mirsa Abu-turab Persa, hanc ipsam nostram sententiam continent; quamquam, quae in leonis pede postico altero obvia, مسین et سرکا vel cui jungam vel quo modo expediam, nescio.

Age vero ad eam titulorum hujus thecae partem accingamur, quae omnium maxime spectanda. Exstat in medio circulo N°. 16 nobisque genealogiam aliquam Tataricam legendam exhibet. Orientis populos constat generis nobilitati mirum quantum tri-

buere, plus adeo quam qui inter Europaeos splendore natalium maxime superbiunt, ideoque familiarum illustrium origines summo studio indagare, earum stemmata religiose servare, et genealogiae cognitionem in summo honore habere. Super ceteros quidem hac in re excelluerunt Arabes. Legimus fuisse, qui studio genealogiarum tribuum familiarumque Arabicarum eximie prae aliis operam navarent et series catenatas originum vel intricatissimas callerent ([13]). Ita singulis etiam Scheriforum ordinibus suus erat نقيب *Nakib*, cujus erat in genealogiarum sui ordinis sinceritatem inquirere, genuinas litteris approbare, falsas expungere &c. Inde multi ab Arabibus profecti libri sunt, qui in familiarum suarum illustrium originibus exponendis versantur; indeque scientia genealogica in systemate disciplinarum Muhammedanis colendarum eximium locum occupat. Habe, quae de eà Hadschi-Chalfa in libro suo praestantissimo, qui inscribitur كشف الظنون عن اسامى الكتب والفنون, disseruit: علم الانساب وهو علم يعرف منه انساب الناس وقوايده (ومن فوايده?) العصمة عن الخطاء فى الانساب وهو علم جليل القدر عظيم الشان الاصل فيه قوله تعالى وجعلناكم شعوبا وقبايل لتعارفوا وحديث الرسول الكريم صلى الله عليه وسلم تعلموا انسابكم تصلوا ارحامكم او كما قال وكانت العرب تحتفظ على انسابها فلما اختلطت الاجناس وتزوجت العجم من العرب والعرب من العجم حصل الاختلال فى الانساب فعزاوا (فعزوا) كل واحد الى بلده او حرفته ليعلم قال المولى ابو الخير ولم يبين هذا العلم صاحب مفتاح السعادة انتهى والعجب من هذا الفاضل الجليل كيف غفل عن مثل هذا مع انه مشهور محتاج اليه وقد صنف المتقدمون فيه كتبا كثيرة واول من فتح هذا الباب وصنف فى علم الانساب هو الامام الاجل الفاضل هشام بن محمد الشهير بابن الشيخ الكلبى المتوفى سنة اربع وثلثماية ثم الف فيه الفضلاء المتقدمون منهم صاحب الجمرة والوجيز والفريد

(13) Audiebant نسّابون s. نسّابات s. نسبة

والفاضل والفاصب ثم تبعهم العلماء فى ذلك واشد الناس احتياجا اليه المحدثون ومن اقتفى اثرهم واتبع منهجهم وسبلهم

Scientia genealogica docet hominum origines. Inter alia eam nobis affert utilitatem, ut nos ab erroribus circa genealogias committendis tutos praestet. Est autem scientia gravissima et maximi momenti, nixa quidem dicto Koranico (49 : 13.); „divisimus vos in gentes tribusque, ut vos invicem cognoscatis;“ ([14]*) item Traditione sanctâ Prophetae: „discite genealogias vestras, et propinquis vestris benignos vos praebebitis (*[15]*)“ . . . (*[16]*) Arabes genealogiarum suarum curam diligenter habebant. Postquam autem gentes inter se commisceri coepissent et Barbari Arabesque mutuis jungerentur matrimoniis, genealogiae interruptae corruptaeque sunt. Unde jam unumquemque, ut distingueretur ab aliis, a patriâ suâ vel eâ, quam exercebat, arte denominârunt. Auctorem libri* مفتاح السعادة *miftah-es-saädet s. Clavis felicitatis (*[17]*) de hac scientiâ prorsus non tractâsse, Abu-l-cheir notavit (*[18]*). Atque sane est, quod mireris, qui fieri potuerit, ut vir tam egre-*

([14]) In ill. Hammeri *Encyklop. Uebersicht der Wissensch. des Orients* p. 256: „Wir haben euch in Stämme und Zünfte eingetheilet, die ihr kennen lernen sollet.“.

([15]) i. e. Vestras si didiceritis genealogias, habebitis, quo ab aliis distinguatis vobis cognatos iisque prae aliis benignos vos praebeatis. Verba تصلوا ارحامكم ab Hammero l. c. silentio praetermissa sunt. Herbelotius autem (art. *Ansab.*) male reddidit: *priez pour vos parens;* quem sequutus est Richardson. in *Dictionary Pers.* &c. Sed تصلوا a verbo وصل, non a صلى, derivandum. Eodemque, quo hîc verbum occurrit, usu habes صلة الرحم in antiquâ illâ inscriptione apud Reisk. ad Abulf. *Annal.* T. I. not. 34, et in Aktami testamento apud eundem l. c. T. II. not. 256.

([16]) اوكما قال quo sensu hîc accipiendum sit, non satis video. Numquid innuit, 'H. Chalfam in medio relinquere, fueritne illud dictum Prophetae hoc, an alio modo, conceptum? An vero aliquid excidit?

([17]) Puta Tasch-köpri Sade.

([18]) Apud Hammerum l. c. lego: „Nach dem Verfasser des *Miftah Sejad* schreibt sich diese Wissenschaft von den *Sejaditen* her, und, was das wunderbarste &c.

gie doctus hanc scientiam notabilissimam et maxime necessariam negligeret. Magnus librorum numerus exstat, in quibus veteres de eá tradiderunt. Primus autem, qui hoc argumentum tractare aggressus, libros genealogicos scripsit, est Imamus illustrissimus et doctissimus ***Hescham filius Muhammedis****, vulgo* ***Ibn-es-Scheich Kelby*** (19) *dictus, mortuus a. H.* 304. *Mox alii veteres docti hanc scientiam libris editis tractárunt, veluti auctores librorum* الجمرة (h. d. جمهرة الانساب), الوجيز, الفريد (h. d. الفريدة), الفاصل et الناصم (?). *Eos deinde excepere scripta doctorum theologicorum. Qui autem hac scientiá prae ceteris opus habent, sunt traditionarii et quicunque eorum vestigia legunt viamque et tramitem sequuntur.*

Mongholi autem Tatarique quantopere et ipsi in genealogiis virorum suorum illustrium accurate deducendis sibi placuerint, vel unum testatur **Abu'l-Ghasii** opus, cui titulus شجره ترکی *Stemma Turcicum* (20). Apud eosdem quanta fuerit nominis Dschingisiani auctoritas et veneratio, et quanti habitum sit, a tanto viro originem trahere, inter omnes constat. Non mirum igitur nobis accidat, quod pusillum aliquem principem videmus gloriae materiam inde sumsisse, quod alto a sanguine Dschingis-Chani ortus esset, idque in hac thecâ suâ testatum dedisse. (21) Quod quidem stemma suum in eâ non ad ipsum Dschingis-Chanum usque retro egit, sed ad Urus-Chanum subsistere fecit, id ab hujus posterioris nomine in historiâ Dschingisidarum celebratissimo est, quod quippe omne ulterius additamentum supervacaneum reddebat: لانه كان من الشهرة بحيث اغنى عن الاطالة فى الصفة.

(19) Apud **Herbel.** l. c. audit ***Hescham ben Muhammed ben Schiraib*** seu ***Scheib al-Kelbi.***

(20) Apud nos sub titulo ***Histoire généalogique des Tartars*** innotuit.

(21) Similiter principes Ortokidas tum in nummis tum in utensilibus generis sui seriem deduxisse videmus.

Jam hanc legenti mihi genealogiam mirari subiit singularem, quà concinnata est, rationem. Convenit enim ei, quà stemmata passim in *V.* et *N. Testam.* tradita deprehendimus (veluti 1 *Chron.* 2. Matth. 1. &c.). Cui simile exemplum equidem fateor mihi nec in libris nec in monumentis Tatarorum oblatum esse.

Chanus autem, cujus enarratur genus, *Uras-Muhammed* est. Is quidem Annales Russorum non effugit; neque tamen de ipsius genere nec de verà nominis ratione iisdem exploratum erat. Quare haec in thecà nostrà obvia ejus genealogia non potest non optata nobis accidere, eamque paucis illustrare expediet.

Urus-Chanus, a quo inde eam repetitam diximus, a sanguine *Dschingis-Chani* genus ducebat, quatenus erat filius τȣ بادافل اوغلان *Badakul-Ughlan*, nepos τȣ اوز تيمور *Awis* (s. *Aūs*)-*Timur* et pronepos τȣ توقاى تيمور *Tokaï-Timur*, filii τȣ جوجى خان *Dschudschi-Chan*, quem *Dschingis-Chani* filium natu maximum fuisse, in omnes pervulgatum est. Post exstinctum Birdi-Bek-Chanum rebus Ulusi Dschudschiani vehementer turbatis, Urus varia expertus discrimina, quasdam illius Ulusi Ordas (et quidem, ut videtur, Orientales) sibi subjecit, et post plura praelia cum Tuktamyscho, Timurlengi copiis tunc quidem adjuto, commissa a. H. 778 (qui d. 20 Maji a. p. C. 1376 incipit) fato defunctus est.

Eum in hoc stemmate qui excipit, unus est de quatuor ipsius filiis, hîc quidem nomine ita exarato, ut تريروجوق *Terirudschük* legendum putaveris; sed legendum potius est قويروجوق *Kuirutschük*. Is ille est, qui, Tuktamyscho Chanatum patrium cedere coactus, paterni hostis, Timurlengi, aulam, tanquam fortunae jactatae portum ac perfugium, petebat, hujusque sequutus castra, ab eodem, quum, Tuktamyscho fuso fugatoque, ad Wolgae ripas commoraretur, a. H. 797 (qui d. 26 Oct. a. C. 1394 incipit) Ulusi Dschudschiani Chanus constitutus est. Nomen ejus ab aliis alio modo scriptum, a nonnullis turpem in modum corruptum est. Abu'l-Ghasio in Cod.

Tat. audit قوريجق *Küiritschük*, in vers. Gallicâ *Kavertzik* (قورجيق) et in Messerschmidianâ *Kauirzik*, quae eodem redeunt; Langlesio: *Qaïritschâq* i. e. قيرجاق; Scheref-ed-dino قوبرى جاق اغلان *Küiritschak-Ughlan*, indeque Emiro Muftafae قوبرى خان اغلان *Küri-Chan-Ughlan;* Mirchondi قورى اغلان *Küri-Ughlan;* Chondemiro in 'Habib-es-sijar قوبزى جان اوغلان *Küisidschan-Ughlan* (corrige قوبرى جاق) al. قريزى خان al. قرجق etc. Dubium mihi non est, quin قويروجوق *Küirutschük*, lectio in hac thecâ obvia, ad quam Abu'l-Ghasi proxime accedit, verus sit hujus nominis scribendi modus.

Hic post se reliquit filium nomine براق خان *Barak-Chan*, quem talem et Abu'l-Ghasi et Chondemir praedicant. (22) Male Deguignes et Langlès eum filium Urus-Chani faciunt. Schiltbergero, qui in ipsius patriâ fuit, nominatur *Waroch*, quod ipsum براق est, juxta pronuntiationem Tataris illis peculiarem, utpote a quibus *b* nostrum proferri potuisse negat Ruysbroek. Denique nec Annalibus Russicis ignoratur, recte eum appellantibus Баракъ (23). Hic quidem exeunte primo saeculi XV. Christiani quadrante cum Kitschük Muhammed, Daulet-Birdi et Chodaïdad (24) de rerum summâ contendens, bis imperio potitus, bis deturbatus, tandem a dicto Muhammede victus et occisus est.

Barak-Chano natum *Dschani-Bek-Chanum* novit et praenomine *Abu-Sa'id* (ابو سعيد) gavisum refert Abu'l-Ghasi, apud quem جان بيك *Dschan-Bik* audit. Fuere, qui hunc Dschani-Bekum II. cum Schadi-Bek-Chano male confunderent.

---

(22) Etiam Petis de la Croix ad *Hist. du grand Genghizcan* p. 501. Nam etiamsi is tradat *Barrak fils de Cabargic*, apparet in posteriore nomine (قبرجق) latere ipsum *Couirgic* قبرجق

(23) In uno *Archang.* inveni eum perperam scriptum Барашъ.

(24) Sic scribendum hoc nomen, quod in Annalibus Russ. aliis alio modo corruptum *Куйдадатъ, Куйдоштъ, Кудайтъ, Судайтъ* &c. *Annal. Archangel.* recte *Кудадатъ* i. e. خداداد seu خدايداد, quod idem valet atque nostrum *Богданъ*, *Deodatus.*

Dschani-Beki hujus filios novem **Abu'l-Ghasi** enumerat. Inter eos non nisi *Aitik* ايتيك invenio, cui nomen aliquatenus conveniat cum hoc, quem theca nostra filium Dschani-Beki praedicat. Jam vero ex eadem, non *Aitik*, sed يادك *Jadyk-Chan* verum ejus nomen esse, discimus.

Hujus autem filius qui jam in thecae titulo sequitur, شيفاى *Schifaï* legam an شيغلى *Scheighaly*, ambigo, scripturae ratione utramque patiente lectionem. Posteriori, quam corruptam pro شيخ على *Scheich-Äly*, nomine aliis apud alios auctores modis depravato ([25]), statuere liceret, vide an faveat *Родословная Книга Князей* &c. T. I. p. 24, quae του Шигалей Царь nepotem τε Яныбекъ (puta Dschani-Bek) vocat. Dschani-Beki autem nepotem eum, cujus nomine nunc cum maxime occupamur, inscriptio nostra fert. Jam fac tibi in mentem veniat Kasimowiae urbis, quam, ante nostrum Uras, Scheich-Aly sedem habuit. Denique id quoque teneto, rationem temporum neutiquam obstare, quominus huc Scheich-Äly admittatur. Sunt tamen, huic sententiae quae repugnent, non reticenda illa a nobis. Patris nomen cum eo, quod stemma nostrum suppeditat, neutiquam convenit. Nam et in *Родосл. Книга* l. c. et in epitaphiis et alibi pater του Scheich-Aly Шиховлеяръ, vel

---

([25]) Audi **Gadebusch.** in *Livländ. Jahrbüch.* T. I. Abschn. 2, p. 514: „Es ist wundersam, wie der Name dieses Herren geradbrechet und gedeutet worden. **Russow** nennt ihn *Czer Sigaley*, **Henning** *Zerzigaley*, **Nyenstedt** *Zaer Zygallee*; **Bredenbach** und seine Abschreiber **Guagninus** und **Venator** nennen ihn *Peter Sisegaleider*, und wollen, dass dieses Wort in der Russ. Sprache 7 Galeeren bedeuten soll, weil er ehemals so viele Raubschiffe angeführt. Er hiefs aber *Schigr-Aley* d. i. *Herr Aley*." — Imo lege *Scheich-Äly* (*Шейхъ-Гали*) i. e. proprie *Senex eminens*, dein *Dominus Äly*, simulque accipe Gadebuschianis addendas has ejusdem nominis varias depravationes: شغالى *Schaghali* in libris Tataricis et apud **Pallas**, شاه على *Schah Äly* item in MSS. Tat., شغله *Schighleh* apud **Hafifz Mu'hammed** in Annalib. **Emiri Muftafae**, *Шахъ-Алей*, *Шахъ-Алей*, *Шигалей* in **Annal. Russ.**, *Szigalei* apud **Deguign.**, *Scheale* apud **Herberstein.** et **Olearium**, *Zegoline* apud **Jenkinson** &c. — Diem obii supremum 15 m. Schuwal. a. H. 975 (= 1568) anno aet. 61, teste ipsius epitaphio.

Шигавлаѣръ vel Шихъ-Аулеаръ vel Шахъ-Авліяръ, *Schich-Aulear* &c. audit; quod in quasqunque partes torseris, simile ei aliquid ex nostro يادِيك *Jadik* frustra elicere coneris. Accedit, quod a Tuktamyscho genus Scheich-Aly-Chani derivat *Исторія о Казанскомъ Царствѣ* p. 59. not. 29 et al. Hoc unum igitur nomen *nunc quidem* in medio relinquentes ad duo postrema stemmatis procedimus.

Ea nobis sistunt nomen ejus, cujus haec theca fuit, eique praemissum patris ipsius nomen; hoc اوندان سلطان *Aündan-Sultan*, illud اوراز محمد خان *Uras-Muhammed-Chan* sonat. Quae nomina ut recte enuclearem, ipsae corruptae et deformes, quibus in libris historiae Russicae exarata sunt, rationes me adjuverunt. In iis enim posterior Chanus vocatur modo *Бурмаметъ* vel *Мурмаметъ*, modo *Урусъ Махметъ*, vel *Улусъ*—vel *Арасъ*—vel *Урасъ Махметъ*, et πατρωνυμικῶς nunc *Айдаровичь*, nunc *Андаковичь*, nunc *Алдановичь* vel *Алдоновичь*. Jam Muellerus ([26]) lectiones *Burmamet* et *Murmamet* merito damnavit, sed minus recte idem *Урусъ Махмедъ Айдаровичь* lectionem reliquis praeferendam existimavit propterea, quod *Urus* et *Aidar* nomina Tataris trita sint. ([27]) Non insolita quidem haec dicta nomina sunt, sed tantum abest, ut ideo respuendae sint lectiones omnes reliquae, ut potius Урасъ et Алданъ, quum posterius Анданъ vel Аунданъ correxeris, unice veras esse nostra theca doceat. Atque memini, alibi quoque nomina Tatarica haec اوراز et اوندان mihi oblata esse. Pravae igitur lectioni in Historià Russorum obviae substituamus veriorem hanc: *Урасъ Мухамметъ Аундановичь.*

Hunc autem Chanum certe ineunte saeculo p. C. n. XVII. vixisse, ipsa haec theca testatur, cujus aerae notam ١٠٢١ — 1021 (i. e. 1612 p. C.) legi, suffragante historià Russicà. Ab eà di-

([26]) *Samml. Russ. Gesch.* T. V, p. 132. 137 sq.

([27]) Muell. l. c p. 77. sq.

scimus, eum, quem passim **Царевичь Казацкія Орды** vel **Царь изъ Нагайской Орды** nuncupant, Mosquae fuisse in Borissi Theodoridae Godunowii aulà, ab eoque a. m. 7106 (= a. Chr. 1598) cornu dextro exercitus Russici adversus Ghasi-Giraï, Chanum K̆rimensem, educendi praefectum esse, deinceps a. 1601 ab eodem Borisso *provinciam K̈asimowiensem* pro fide et operà beneficii loco accepisse, moxque eodem anno copias Russ. contra fines K̈rimeae educere jussum esse (28).

Itaque noster Uras-Mŭhammed de numero *Chanorum K̈asimowiensium* erat. *Касимовъ*, *K̈asimow*, nota urbs est provinciae Raesanensis, ad Okkam fluvium sita, 260 W. Mosquà distans. Condita a. 1152 (29), *Городецъ*, *Gorodez*, vel ut ab aliis oppidis cognominibus distingueretur, *Мещерскій Городецъ* s. *Городокъ* (q. d. oppidulum Metscheraekorum) vocata est; deinde autem nomen *K̈asimow* nacta a قاسم *K̈asim*, principe quodam Tatarico, filio Ulugh-Mŭhammedis, qui quum ad M. Ducis Basilii Basilidae excoecati partes cum pluribus suorum a. 1446 sese adjunxisset, eam beneficiario jure tenendam (**въ удѣлъ**) ab eodem accepit. Haec Chanorum K̈asimowiensium, qui CC amplius annos in Russià floruerunt, origo est. Nimirum post K̈asimum qui a. 1469 diem supremum obiit, Magni-Duces eandem urbem aliis atque aliis principibus Tataris, quorum operam sibi utilem experti fuerunt, et qui jam ipsorum partibus adhaerebant, beneficiario jure tribuebant. Tatarum civibus, qui plerique ejusdem professionis erant, praeficientes, rem faciebant utrique parti gratissimam; neque tamen in eà periculi aliquid imperio Russico erat ob summam civitatis K̈asimowiensis vicinitatem. Adde, quod hi Chani, utut species inanes essent, a M. Ducibus inaugurati iisque obnoxii, iisdem aliquam glo-

(28) Muell. l. c. p. 77. 132. 136. 138. Щербатовъ *Ист. Росс.* VII, 1. p. 23. 109. 129. 137.

(29) Sic Schtschekatow in *Слов. Геогр. Росс. Госуд.* art. Городецъ; quamquam idem art. Касимовъ ejus initia prorsus ignorari affirmet.

riandi materiam praebere videbantur ([30]). Sic Kasimowiam notissimo deinceps Chano Kasanensi, Scheich - Alyo, clientis jure tributam et habitandam concessam legimus ([31]), unde illa passim ejus отчина s. вотчина *(patrimonium)* vocatur ([32]), ipsi in libris Russ. titulum *Tzari Kasimowiensis* peperit ([33]), atque hodiedum ejus aliorumque virorum atque foeminarum principalium Kasimowiensium sepulchra cum plurium aedificiorum Tataricorum ruinis servat ([34]).

Anno adhuc 1634 ibi in aedificio, urbis quondam castello, princeps juvenis Tatarus, nomine *Res Kitzi*, unà cum matre atque avo resedit, teste Oleario in *Vermehrte Newe Beschr. der Muscowit. u. Persischen Reyse* p. 336, qui eundem a Russis ad formulam Christianam amplectendam frustra allectum esse tradit. Hunc Res - Kitzi ipsum filium fuisse nostri Uras - Muhammedis, deinceps Christo nomen dedisse et in possessione civitatis Kasimowiensis mansisse, liquet ex Mayerbergii *Itinere in Moschoviàm*, a. 1661 facto, ubi pag. 68 ([35]) haec leguntur: „Ab hac per Occam ascendendo oppidum Cassimogrodia assurgit, a Tzare Hoduno Tartaro Regulo fiduciario jure concessum, quod ejus

(30) V. Muell. l. c. V. p. 136 sq. et Schtscherbat. l. c. p. 109. 137. sq.

(31) Veluti Herberstein. in *Rerum Moscovit. auct. var.* p. 48: „Oppidum Cassimowgorod, quod Moscus Tartaris habitandum concessit;" intellige Scheich - 'Aly - Chanum, quem Herberst. (v. ib. p. 97) a. 1526 Mosquae comitem a latere Magni Ducis haerentem vidit. Adde *Jenkinson* in Hakluyt's *Principall Navigations* &c. p. 347: „We came [a. 1558] to an other castle, called Cassim, under the government of a Tartar prince named *Vtzar Zegoline* (i. e. Tzar Scheich - 'Aly), some time emperor of the worthye city of Cazan, and now subject unto the Emperor of Russia."

(32) Veluti in *Истор. о Каз. Царств.* p. 178. Rytschkov's *Versuch einer Hist. v. Kasan* p. 99. 117.

(33) Veluti in Rytschkov's *Versuch* p. 76. *Ист. о Каз. Ц.* p. 56.

(34) Adi Pallas *Reise durch verschied. Prov. des Russ. R.* I. 29. et praecipue Schtschekatowii *Словарь Геогр. Росс. Госуд.* Tom. III. art. Касимъ et Касимовскіе Татара.

(35) Versionis Gall. Leide, 1688. p. 231.

filius nuper apud Moschos sacro tinctus lavacro possidet, et tantulus dynasta augusto Tzaris praedicato appellatur." — Nil (puto) attinet monere, *Tzarem Hodunum* esse ipsum Borissum Godunowium ([36]), a quo Kasimowiam Uras-Muhammedi beneficiario jure tributum supra vidimus; nec mihi dubium videtur, quin ejus filius hic memoratus idem sit cum eo, quem Olearius Res-Kitzi nominat, in quo aut ريس كچك s. كچى *Re'is Kitschik* s. *Kitschi* i. e. Capitaneus parvus) aut, quod mallem, اوراز كچى *Uras Kitschi* ([37]) (i. e. parvulus Uras) latere puto. Nam Strauss, qui haud adeo diu post Mayerbergium a. 1669 Kasimoviam transibat, ibi principem, cui nomen *Retskitsky*, cum uxore suâ sedem habere narrat. ([38])

Ex hoc eodem autore conjicere est, post medium fere saeculum XVII. hanc parvam dynastiam Tataricam intercidisse. ([39]) Inde Corn. de Bruin, qui a. 1701 Kasimowiam preternavigabat, Chanorum ejus mentionem non fecit, quamquam templi Muhammedani incolarumque ex aliquâ parte Tataricorum facere haud neglexerit ([40]); et G. Jo. Unverzagt a. 1719 disertis verbis refert:

---

(36) Mayerbergium minus accurate exscribens Witsen in *Noord en Oost Tartarye* p. 725 ed. 2. Tzarem Hodun unum et eundem habuit atque Tatarum principem, patrem τυ Res-Kitzi. En tibi ipsa ejus verba: Cassimut, of Casimut, anders Casimogrodis, of Cassinow geheten, is een Stedeken, gelegen aen de Vliet Ocka, 't welk noch onlangs in 't geheel, volgens bericht van Majerbergh, van een Tartersch Koninksken, *met de naem van Tzaer Hodun*, bezeten wierd; wiens Zoon Res-Kitzi voor weinig Jaren in Moskou gedoopt zijnde, het selve onder de Eernaem van Drost hunner Tzaersche Majestaiten blyft bezitten.

(37) Scilicet *Res* s. *Ras* per aphaeresin ortum putaverim ex *Uras*, sicuti Citracan (i. e. Tschitrakan) ex 'Hadschi-terchan, Бряхимовъ ex Ибрагимовъ, San-kalah ex 'Hasan-kalah &c. *Kitzi* autem, si litterae چ *tsch* ad instar z pronuntiandi rationem in Russiâ perquam usitatam spectaveris, ipsum *kitschi*, i. e. parvus, est.

(38) V. Straussens *Denkwürd. Reysen durch Italien, Griechenland* &c. aus dem Holländ. Amsterd. 1678. p. 91

(39) „Kassimegerod ist vor Zeiten ein Tartarisch Schloss gewesen, jetziger Zeit aber ist es unter den Russen, und hat sich der Printz im 12. Jahre seines Alters dem Czaar unterworffen."

(40) V. Cornelis de Bruin's Reizen over Moskovie door Persie &c. p. 77.

„Casimovgorod hatte vordem den Cassimischen Tartern gehört u. haben ihren eigenen Czaaren gehabt, von deren Familie noch ein Czaarewitz in Moscow lebet. Nun aber ist in dieser Stadt nichts anders zu sehen, als ein Tarterscher Thurm“ (41).

Praeter dicti Chani Ḱasimowiensis genealogiam, alia res notatu digna in hac thecâ nobis offertur. Quae post versiculum Ḱoranicum N° 9 leguntur: *o Allah! o Muhammed! o Âly!* item quae in NN. 10, 11, 12, 13, 14 & 15 exstat precatiuncula: *Inclama Âlyum*, etcetera, Uras-Muhammedem *Schi'itarum* formulae addictum fuisse probare videntur. Quam ad rem non posses non stupere. Chani enim, ut Bulgharorum priscorum, ita Ulusi Dschudschiani Sunnitae fuere; id quod in libro secundo de *numor. Bulghar. f. ant.* p. 100 sq. pluribus demonstravi, quae hic repetere supersedeo. Nec, dissoluto Ulusi Dschudschiani Chanatu, Tataros hos ab eâ formulâ deflexisse, unquam memoriae proditum; hodieque Tatari per provincias Russicas sparsi formulam Sunnitarum profitentur. Suspicari quidem liceret, inter Tataros illos, qui relictis suorum castris ad Russos transibant, fuisse, quibus dissensio circa sacra sua secessionis caussa existeret: voluisse eos fugiendo civium suorum aliter sentientium se subducere vexationibus; quid? Ḱasimowiam forte aliquando sectae Schi'iticae fuisse nidum. Verum ad ejusmodi conjecturas non est quod confugias. Nam etsi illam precum Âlyo dictarum formulam in Schi'itarum maxime sigillis talismanisque frequentem esse non negaverim, tamen ei non inest, quod profiteri vereantur Sunnitae. Hi et ipsi Âlyum legitimum Chalifam et hominum post Muhammedem praestantissimum venerantur ejusque laudes omnibus in Chutbis etc. celebrant, quamquam haec eadem omnia et Abu-Becro et 'Omaro et 'Osmano tribuant contra ac Schi'itae faciunt.

(41) *Die Gesandschafft Ihro Kays. Majestät v. Gross-Russland an den Sinesischen Kayser* &c. Lüb. 1725. p. 13.

Restat, ut haec capsula cui usui inservierit, verbulo indicem. Nullus equidem dubito, quin sacro Muhammedanorum codici condendo fuerit. Multi enim Muhammedani, ut Talismanum aliquem, ita Koranum minoris molis, vel sacculo sericeo al. vel pyxide aureà argenteàve inclusum, aut collo suspensum aut in zonà conditum secum gestare nec unquam a se deponere solent. (42) Ipsa hujus pyxidis forma, et foramina trajiciendis, quibus pectori vel lateri alligaretur, vinculis apta, piae denique, quibus superfusa est, sententiae hunc ejus usum indigitant.

(42) Conf. *Voyages* de Chardin. T. II, p. 277. ed. Langl.

DE

LAMPADE CUFICA BYLÄRIENSI

MUSEI ASIATICI ACAD. IMP. SCIENT.

In ruderibus *Byläriae* (بولار Билярь) urbis quondam florentissimae, cujus de fatis quae Tatari memoriae prodidere, in Dissertatione *Fodinarum Orient.* Volumini quinto insertà in medium protuli, quinque vel sex abhinc annis reperta est lampas ex aere mixto facta, cujus figuram in Tab. XIV. a. b. c. d. ab omni parte delineatam videre est.

In ejus superficie eà, quae operculum (litt. e) ab utroque latere circumdat (litt. f. f.), et in ipsius operculi extremitate anteriori (litt. g.) inscriptio Cufica cernitur, brevis quidem sed cum characterum mirà elegantià et congruà dispositione, tum vocabulo mutilato insignis. Eam ego quidem hunc in modum transfero:

[1] بالیمن [2] والبرکه } [5] لصا
[3] والسر [4] والدوله }

atque his punctis diacriticis et vocalibus animo:

[1] بِالْيُمْنِ [2] وَالْبَرَكَة } [5] لِصَا[حبه]
[3] وَالسُّرِّ [4] وَالدَّوْلَة }

i. e.

Cum [1] *prosperitate et* [2] *benedictione* } [5] *posse*[ssori hujus.]
et [3] *gaudio et* [4] *felicitate* }

i. e. cum voto prosperitatis et successus divinitus suppeditandi etc. possessori hujus; cum voto ut prosperitas etc. possessori contingat; seu, quod possessori bonum, felix, faustumque et fortunatum sit.

In hoc titulo quae interpreti negotium facessunt, duo maxime sunt vocabula, tertium et quintum. Prius quidem etiam وَالسِّنّ legere licet; verum haec vox, denotans *dentem*, indeque *aetatem*, etiam provectiorem, an in faustâ precatione commode admitti queat, equidem vehementer dubito. Patet alia non una hoc vocabulum explicandi via. Symmetriae in disponendis inscriptionum litteris quantum tribuant Muhammedani, neminem fugit eorum calligraphiae usu vel leviter tinctum. Et ipsa, quam prae manibus habemus, inscriptio insigne hujus elegantiae, quo illi tenentur, studii exemplum est. ([1]) Quidni igitur statuamus, legendum وَالسَّرَّاء et ductum illum erectum litterae ر antepositum non, ut in tribus aliis hujus ipsius inscriptionis vocabulis, pro supervacaneo, sed pro litterâ ا rejectâ symmetriae ergo ante ر, cui postponenda fuerat, habendum esse; id quod non praeter morem est. Ipsa autem vox السراء, quae proprie *laetam*, deinde ex usu, qui in linguâ Arabicâ quam maxime evaluit, ut epitheta rerum res tandem ipsas designent, *laetum statum*, *laetam* s. *commodam fortunam* denotat (in qua notione, fieri potest, ut الحال *status*, *conditio* supplendum sit), commode hic locum habere potest. Verumtamen ab eo, quod haec lampas prae se fert, scripturae Cuficae genere haud scio an illa litterae ا transpositio, utut *συμμετρίας* ergo factum conjeceris, aliena sit. Praestabitne

([1]) Addere juvat exemplum longe luculentissimum haud ita pridem editum a cel. M. A. Lanci in *Lettera sul Cufico sepolcrale monumento portato d'Egitto in Roma*. (Romae 1819). In figurâ ibi in Tab. II. repraesentatâ littera ا vocabuli العمل a loco suo mota et trajecta retro in alienum prorsus locum, ita ut quinque vocabulis interpositis a suo ل diremta cernatur, idque eo tantum consilio, ut ne duae ا eodem loco junctim surgant.

itaque hanc lineam erectam litterae ر antepositam pro mero ornamento, ut in باليمن , البركة et الدولة, habere et transscribere وَالسُّرّ?

Posui hoc; non dissimulabo tamen, سُرّ pro سرور *laetitia* mihi insolitum accidere. Frustra equidem hujus notionis circumspexi exempla idonea, tam in lexicis, quam apud alios scriptores. Quin omnes lexicographi hanc hujus vocabuli significationem ignorant, ab uno Firusabadensi si recesseris, qui ad solum nomen urbis Serrman-ra adduxit haec: وسر من راى بضم السين اى سرور . Nil amplius. Numquid ergo ad tertiam, quae suppetit, hujus nodi solvendi rationem confugiendum? num forte existimandum in والسر latere والسرور? sive illud statuas ortum culpâ sculptoris, sequente litterâ و vocabuli والدولة falli se passi, sive de industriâ factum esse, quod integram vocem non capiebat loci angustia. Artificem oscitanter agentem hîc quidem in caussâ esse, magis ad probabilitatem accedere mihi videtur. Talis incuriae exemplum simillimum habe in numismate in memoriam victoriae de Rohillis reportatae cuso, ab ill. S. de Sacy cum b. Tychsenio communicato et ab hoc in medium producto in *Additam. ad Introduct.* &c. p. 90 sq., in quo شجاع الد وزير male pro شجاع الدولة وزير exaratum est, sculptore a litterâ و proxime sequentis vocabuli وزير in errorem et oblivionem τῆς ولة abrepto. Conf. etiam Numus Samanidicus a. 298 Bedachschani cusus, in quo سنة omissum ob praecedens بدخشان, cujus syllaba شان in Cuficis ad similitudinem τοῦ سنة accedit. (v. *Recens. Numor. Muh. Mus. Asiat.* p. 60.) Item Num. Saman. a. 236, in quo sphalmatis هذالفلس (v. ib. p. 91.), et N. Sam. a. 356, in quo sphalmatis الفلمنة pro الفلس ببخارا سنة eadem origo est. (v. ib. p. 103.) Et aliorum sphalmatum, quae quidem eà, quam vicinitas similium litterarum affert, excusatione carent, exempla passim in monumentis Arabicis nobis offeruntur; veluti in Numo Sam. a. 291 الدلة pro الدولة (v. *Recens.* &c. p. 46.), in N. Sam. a. 353 ضر الفلس omisso بهذا (ib. p. 102.), in N. Buweih. ضربا الدرهم neglecto هذ (*Nov. Symb.* p. 21.); in

Cippo Panormitano anni 531 a b. Tychsenio explicato ليطهر pro ليطهره et لها — ولوالديها pro له — ولوالديه ; et quae id genus in aliis occurrunt (²).

(²) Sculptoris sive socordiae sive ignorantiae etiam tribuo, quod in *Cippo Aegyptiaco* nuper eleganti commentario a cel. Laneio (in libello paullo antea laudato) illustrato cernitur عبد النتير. Nam prior vox عبد hac in caussâ posita, per linguae Arabicae usum, articulo prorsus nequit carere; id quod clariss. editorem, qui adeo defendere sustinuit (l. c. p. 17 sq.), non agnovisse miror.

Cel. quidem Laneius minus favere videtur interpretibus, qui in antiquis monumentis peccata, quae socordiae vel ignorantiae sculptorum debeantur, deprehendunt. Certe vocabuli alicujus, de quo infra dicemus, interpretandi difficultatem tollere molitus, „non vogliamo, inquit l. l. p. 20, accusar d'ignoranza lo scultore, che lasciato abbia una lettera terminale. Doneremo questo vantaggio a quegli Archeologi, (ed havvene a dì nostri non pochi) i quali vogliono interpretare i sassi a loro talento; e se non sanno deciferare l'epigrafi, ed un senso otteneme, si gravano, per trarle a'loro pensamenti, dell' imperito scultore, e le iscrizioni guastano per darcele più corrette." Sed mihi dubium non est, quin vir doctissimus, lectis quae et supra et in prooem. ad *Onychem Sor. Neap.* et in L. *de Num. Bulghar* &c. p. 109 sqq et passim alibi hoc super argumento disserui, ab hac sententiâ recedat. Quid? quod in *Recensione Num. Muh. Mus. Asiat. Petrop.* p. 102 exemplum offeretur sculptoris semet corrigentis, quippe qui لايك, male omisso شر, a se sculptum quum animadvertisset, deinde hoc شر minuto charactere τῷ يك superscripsit.

Neque vero, quae in ejusdem Cippi transscriptione Laneianâ reddita sunt صلى et المعروف بالروم, huc traxerim propterea, quia lithurgus habere mihi videtur, quo defendatur. In priore quidem vocabulo cel. Lancius non offendit, transscribens صلى, quod certe per scripturae, non item per linguae rationem licet. Ab imperativo enim, qui hîc obtinet, hanc formam alienam esse, vix opus est, ut moneam. Grammatica صل *falli* poscit. Atque sane nil obstat, quin hanc lectionem, quum alteram صلى probare vetamur, admittamus; nam litterae finalis ل figura in monumentis Cuficis nonnunquam ad لى tam prope accedit, ut ab hac plane distingui nequeat. Adi, quae hoc super argumento ad *Onychis Sor. Neap.* vocabulum secundum §. 6. annotavi. Hanc rationem hîc probemus necesse est, nisi lithurgum hîc quoque turpiter peccati reum agere volumus.

Ad alterum vocabulum بالروم quod attinet, Lancius omnia conatus est, ut hanc lectionem recte habere probaret. Recte quidem negat, المعروف بالروم idem valere posse ac *notus* seu *famâ celebratus in totâ Rumæâ;* quamquam nec فى hoc sensu satis apte adhiberi posse videtur. (Certe exemplum, quo Lancius usus est, hîc admitti nequit; nam الروم جبل معروف فى بلاد واسعة apud Jakutum

Alterum vocabulum impeditius illud est, quod in operculi ligulà (vid. litt. g.) obvium conspicitur. Hoc erit fortasse, qui pro mero or-

in Schultens. *Indice Geogr.* non significant: *Rum, gens ubique terrarum nota*, sed *Rum, gens notissima, regiones habitans vastissimas.*) Recte etiam negat, بالروم contractum ex بالرومی haberi posse. Sed idem frustra est, quum الروم in cippo censet esse cognomen τῷ Chalef per ludibrium impositum, adducto, quo interpretationi suae fidem faciat, exemplo ex Elmacino p. 282., quod et ipsum rejiciendum; nam quod ibi prostat الافسيس (*Afsysus* apud Erpen., *Efesis* apud Lanc.) mendosum esse, jam diu monuit Reiskius. Vid. Abulf. *Annal.* T. III. not. 188. T. IV. p. 314. l. 2.

Ego hoc quoque quidquid est difficultatis tollere mihi videor, monendo, ut supra صل pro صلی, ita hic pro بالروم etiam بالرومی legere licere. Primo teneri velim, ut ر ز م ن و, ita et ی caudâ in altum reflexâ exarari solere in hoc genere Cufico. Exempla habe بلوغ الامانی in *Pluviali Imp. Germ. inaug.*, ذی et الذی in *Epitaph.* apud Rosar. Gregor p. 151, وصلی, النبی, وعلی et al in *Epitaph. Melit*, in *Fod. Orient.* Vol. I. edito, alia ut taceam. Deinde rationem haberi velim mirae variationis, in quà litterae finales versari solent, tam aliis in scripturis, quam in Arabicae variis generibus, inter quae Cuficum nobis hic spectandum est. Quemadmodum supra vidimus ل etiam ی exaratum esse, ita ut duas litteras referat, sic contra passim accidit, ut littera finalis aliqua cum ei adjunctà praecedente una eademque appareat. Veluti الناصر passim ita scriptum, ut ab الناس non distinguas, v. c. Adl. *Mus Borg.* II. N. 51. 79. Sic nil fere discriminis inter العشی et العشا intercedit in Epitaph. apud Ros. Gregor. p. 159, ubi lego versu sexto: ماتت من النفاس فی العشاء *mortua est in puerperio vesperâ* &c. Sic الرحن apud Adl. l. c. II. N. 58 ad instar الرحم, et ibid. المومنين ita exaratum, ut pro الوم (coll. الامام ib. N 51) vel pro المومر habeas. Inspice Adl *Mus. Borg.* I. N. 36 et vide, sitne aliquid discriminis inter م τῷ الامام et مير τῷ امير. Adi Inscript. apud Ros. Greg. p. 138, et vide مو τῷ السموات ita formatum, ut vel solum م in altum reflexum, vel solum و similiter formatum esse videatur. Quid? quod, ut supra صل exaratum vidimus ad instar صلی, sic contra صلی in formulâ illâ faustae apprecationis صلی الله عليه in nummis Cuficis (veluti in numo 'Afz-ed-daulae Buweihidae, Schirasi a. 341 cuso) prorsus صل refert. Non igitur (credo) dubitabis statuere, in hoc quoque cippo ی in caudâ litterae *m* in altum reflexâ latere, et بالروم etiam pro بالرومی accipi posse. Quo facto nec linguae, nec sensui, nec artifici injuria infertur.

namento habeat. Sed id ut verum esse patiar, a me impetrare non possum. Omnino litterae sunt. لما transscripsi. Id vero non potest non esse لصاحبه, hac in caussâ addi solitum, hîc dimidio suo posteriore mutilatum propterea, quod locus id non capiebat. Nollem enim ad hujus comparationem trahere يا صاح pro يا صاحبي, quod frequens usus contraxit, nec منا pro منازل positum, quod licentiae poëticae tribuendum. A spatii autem angustiâ et ipsâ multas cum omissiones tum abbreviationes in numis obvias repetendas esse constat. Vide *Lib. II. de Num. Bulgh.* p. 109 sq. et numeralis quidem centenarii, utpote extremo loco ponendi, in numis omissi exempla in *Recens. Num. M. Mus. As.* p. 25. 26. 57. 104. all. denique et solius ultimae hujus numeralis syllabae ية omissae exempla ibidem passim exstant.

Superest vocabulum, cujus legendi vera ratio aliquam dubitationem habere potest. Pro باليمن etiam اليمن legi posse videatur. Constat litterae ا basin in scripturâ Cuficâ saepe uncino augeri a dextrâ, ut fere speciem τε ب referat. Inspice e. c. *Inscriptionem Kiblae Cordub.* in vocibus الرحمن, الصلوات, quae ad instar بالرحمن, بالصلوات exaratae sunt, item الله secundum *Epitaphii Melit.* a nobis illustrati vocabulum, quod بالله esse dixeris, et quae id genus alia passim obvia sunt. Grandior tamen mihi videtur esse, qui in nostrâ voce cernitur, uncinus, quam ut pro simplici ornamento litterae ا habeas. Inde, etiamsi precatio — اليمن والبركة لصاحبه facilius fluat, quam باليمن والبركة - لصاحبه, hanc posteriorem lectionem praeferendam censui. Ne autem in ب voti offendas, adjicere expediet precationem faustam, in margine numi Buweihidici, qui tum in *Museo Imper. solitario Petrop.* tum multo integrior in Collect. ill. de Hallenberg exstat: باليمن والسعادة والنصر والظفر.

Scripturae autem Cuficae genus, quod in hac lampade cernitur, novi quid prae se fert a mirabili, quod adhibitum videmus, συμμετρίας s. convenientiae partium studio. Non solum omnes illae

litterae, quarum caudae descendere solent, hîc, ut alibi, e. c. in *Pallio Imp. Germ. inaugurali*, in altum reflexae (id quod, ut spatio parcatur, fit), sed etiam, novo plane et insolito exemplo, singulares ubi exstabant, lineâ παραλλήλῳ a dextrâ auctae sunt, ut ن in باليمن, ر in والبركة

Hoc utut nostri operis characteri Cufico proprium sit, aetatem ejus tamen ex eo definire arduum est; quamquam eam nec saeculo aerae nostrae XIII. priorem nec XIV. posteriorem esse censeam.

Ad figuras denique quod attinet, ab utroque lampadis latere binae humanae conspiciuntur, quarum una (litt. h) Sambucam (*tscheng* چنك dictam ([3])), secunda (litt. i) chelyn (*ûd, laût* — عود, لاوت) incertum an aliud instrumentum musicum pulsat, tertia (litt. k) poculum, quarta (litt. l) pomum nescio quod manu tenet. Quidquid praeterea, tam supra et in lateribus, quam in pede, exstat, flores sunt et ornamenta. Inter haec autem ornamenta haud scio an id, quod in operculo, tam ante باليمن quam post الدولة, collocatum est (vid. litt. m. m), operis patriam quodammodo indigitet. Ei nempe simillimum in nonnullis Chanatus Dschudschiani numis deprehendi. Nostris igitur terris fortasse attribuendum est. Hîc vero in figuris nemo offendat. Constat, Muhammedanorum haud paucos canonem imagines interdicentem parum superstitiose servare, nec hanc ipsam legem tam late, ut vulgo sibi persuadent, patere. Mongholo-Tatari quam parum de eâ observandâ laboraverint, et numi et alia monumenta testatum dant.

Lampadem autem (Кандило, قنديل *Ḳandil*) esse, quod prae manibus habemus, antiquum opus, totus ejus habitus prodit. Quamquam ipsae illae quatuor figurae humanae additique flores, quibus vita voluptatum varietate conferta innuitur, facile te inducere possent, ut

([3]) Vid. Kaempfer. *Amoenit. exot.* p. 745 N° 21.

potius vel بخوردان *buchurdan* s. مبخر *mibchar* i. e. *thuribulum* esse putes, vel مدهن *müdhün* seu *lecythum*, ex quà aquam rosaceam et similia in manus, vestes, cidarim hospitum suorum Muslemi spargere solent. Conf. Muradg. d'Ohsson in *Tableau général de l'Empire Oth.* Tom. II. Tab. 61 et Niebuhr's *Beschr. von Arab.* Tab. I. D. et E. Diversitas, quam has figuras inter et nostram deprehendis, e terrarum populorumque diversitate explicari posset.

INSCRIPTIONIS CUFICAE

PALLII IMPERATORUM GERMANICORUM INAUGURALIS INTERPRETANDAE SPICILEGIUM.

§. 1.

Quod antehac Norimbergae cum reliquis S. Imp. Rom. Germ. Insignibus asservabatur, Pallium inaugurale (vulgo *Pluviale* dictum) a titulo Cufico rhythmico, qui in ejus infimâ fimbriâ auro textili pictus cernitur, magnam famam collegit. Eum per saecula plura non nisi pro mero ornamento habitum, tandem quidem in scripturae latentis suspicionem adduci coeptum, sed irrito conatu a doctis tentatum, interpretari qui *primus* aggressus est, fuit Georgius Jacobus Kehr, ille studii palaeographici Arabici fundator, in orbe litterario quidem non nisi duabus de nummis Muhammedanis commentationibus editis (ut alia nonnulla minora doctrinae ejus specimina taceam) notus, sed multo plurium operum, quae lucem non adspexerunt, auctor. (1) Ea quoque, quam primus tentaverat hujus inscriptionis interpretatio non solum in lucem non est edita, sed etiam periisse videtur. (2) Id unum ex eà memoriae proditum exstat apud Murrium (3), Kehrio interprete hoc pallium Hispali (s. Sevillae) a. H. 520 esse confectum. Quod etsi extremam hujus tituli partem minus recte

(1) Haec manu Kehrii perscripta, ipsius diligentiae & doctrinae monumenta, partim ut *Genealogiae Turcarum Abulghasianae*, nec non *Historiae Baburi textus Tataricus* aliaque in Archivo Collegii Imp. Causs. exterarum Mosquensi, partim ut *totius libri Albughasiani modo laudati Versio Germanica, Baburiani autem latine versi Pars*, aliaque minoris momenti in Museo Asiatico nostro servantur. Cf. Murr, *Journal zur Kunstgesch. und Litteratur*. Th. X. p. 331.

(2) Vid. Murr l. c. p. 329 — 331, coll. p. 326. not. it. T. XV. p. 283.

(3) l. c. T. X. p. 323. 325. Cf. etiam, quae ipse inspicere non potui, von Ludewig's *Intelligenz-Bogen*. Halle 1731. May N° XXI. et *Hamburg. unparth. Correspondent*. 1731. N° 84.

lectum esse arguat, tamen non est, quod ideo cum Io. D. Michaëli ([4]) neges hanc jacturam dolendam fuisse.

Eodem, quo Kehrius, tempore Io. Henricus Schulze, Med. Doct. & Prof. Altdorfinus, hujus tituli enucleandi periculum (a. 1728) fecit. ([5]) Id editum legere est apud Murrium ([6]), qui idem, a Nagelio invità Minervà emendatum ([7]), additâ inscriptionis figurà ligno expressà, antea jam vulgaverat ([8]), quam posteriorem interpretationem Michaëlis ([9]) et Jenisch ([10]) repetiere. Verum haec transscriptio et interpretatio mirum quam a vero abhorret. Kehrianam, si ad nos pervenisset, vix crediderim tot tamque gravibus scatere potuisse vitiis. Ea tantum abfuit ut tolleret, ut etiam vel repeteret vel emendando pessime rem gereret, qui interpretationem Schulzianam a. 1780 recensebat ([11]) Io. B. Koehler.

Schulzio interpres tertius successit Olaus Gerh. Tychsen, qui primo in *Gelehrt. Beiträg. zu den Mecklenb. Schwerin. Nachrichten* 1780. St. 42 — 45 simulque in Murrii *Journal* T. X. pag. 333 sqq. interpretationem suam proposuit. Nonnulla ille quidem Schulzio rectius eruderaverat, quid? laudem eximiam collegerat ex eo, quod quà in urbe et quo anno confecta sit inscriptio, certo demonstrasset, eoque pacto quaestionem de In-

---

([4]) *Orient. u. Exeg. Biblioth.* T. XIV. p. 26.

([5]) Vid. Murr l. l. T. X. p. 325. T. XV. p. 251. 254. et ejusd. *Inscript. Arab. Pall. Imp.* p. 4 sq.

([6]) *Journal* T. XV. p. 252. et *Inscript. Arab.* &c. p. 5.

([7]) Vid. *Journ.* T. X. p. 323. not. T. XV. p. 251. not. 253. not. *Inscr. Arab.* &c. pag. 5.

([8]) in *Beschreib. der vornehmst. Merkwürdigkeiten Nürnbergs* p. 239.

([9]) l. c. p. 26 sq.

([10]) In *Comment. de fatis linguarum OO.* p. XXIX. ubi in Tab. I. inscriptionis imago aere expressa est, sed minus fideliter. Cf. Murr *Journ.* T. X. p. 346.

([11]) In *Allg. Deutsche Biblioth.* T. XLIV. p. 316 sq.

scriptionis origine et de viâ, quâ Pallium hoc inter Imperii Germanici insignia pervenerit, pro virili solvisset. Alia tamen a Schulzio perperam lecta non animadverterat, alia invitâ correxerat Minervâ. Interpretationem Tychsenianam multi repetiere. Adler ([12]), G. L. Castelli Princeps Turrismutii ([13]), Fr. Daniele ([14]), Murr iterum iterumque ([15]), et in paucis emendatam Rosarius Gregorio ([16]). Anno 1792 Tychsenius ipse, adjutus (credo) Casirianâ interpretatione, suam pluribus locis in melius mutatam, neutiquam tamen absolutam, denuo edidit ([17]), quam ita emendatam a. sequenti repetivit Murrius ([18]).

Paullo post tyrocinium a Tychsenio a. 1780 in hoc titulo explanando positum, vir excellentis doctrinae, Michaëlis Casiri, invitante Murrio, ad eundem interpretandum accessit a. 1782 ([19]), remque bene gessit ita, ut omnes reliquos post se relinqueret; id quod Murrius haud advertisse videtur, Tychsenianae quippe interpretationi ubique primas deferens, quae Casirianae debebantur. Quamquam et huic insunt, quae minus recte habent.

Miraberis, inscriptionem hanc toties repetitis virorum doctissimorum curis tractatam nondum ad liquidum perductam esse (quamquam, id ut tibi persuadeas, facile te permoverint virorum gravissi-

---

([12]) In *Museo Cufico Borgiano* (a. 1782) p. 83. coll. p. 167. (Conf. Michaëlis *Neue Or. u. Ex. Bibl.* 1. p. 55.)

([13]) In *Siciliae et objacent. insular. Inscriptionibus* (a. 1784) p. 315.

([14]) In libro: *I Regali Sepolcri del duomo di Palermo* (a. 1784) p. 105.

([15]) In *Inscriptione* hac c. Tabb. editâ a. 1787, item in *Beschreib. der sämmtl. Reichskleinodien*, a. 1790, nec non in *Inscriptione* eâdem editâ a. eodem 1790 c. Tabb.

([16]) In *Rerum Arabicarum, quae ad historiam Siculam spectant, ampla Collectione* (a. 1790) p. 173 cum Inscriptionis figurâ aere expressâ.

([17]) In *Elementali Arabico* p. 59.

([18]) In libro inscripto: *Beyträge zur Arabischen Litteratur* p. 39. sq.

([19]) Vid. Murr. *Journal.* T. XV. pag. 261 sqq. et *Inscript. Ar. Pall. Imp.* p. 8 sq.

morum de interpretatione quidem Tychsenianâ judicia ([20])); eoque magis id miraberis, quod hic titulus Cuficus sane non in monumentorum difficiliorum lectu numero ponendus est. Tam in transscribendis Cuficis, quam in vertendis Arabicis spicilegium nobis relictum esse demonstrabimus. Id autem nobis proposituris neutiquam animus est, singulas transscriptiones earumque versiones recensere et castigare. Longum foret. Sufficiet, quae in solis Casirianâ et novissimâ Tychsenianâ, qualis in *Elem. Arab.* et apud Murrium ll. cc. exstat, secus ac debebant, habere nobis videntur, notare et emendare, postquam nostram et transscriptionem cum lectionibus Casirianis differentibus ([21]) et versionem in medium protulerimus, quibus ipsis quidem, ut conferri cum iis queant, versiones Schulzianam & Tychsenianam novissimam praemittere juvat.

§. 2.

A) Interpretatio Schulziana, subjunctis emendationibus Nagelianis et Koehlerianis.

Ex iis, quae elaborata sunt in tributum (بالجزاة ([a])) *regni, quod a longissimo tempore inclaruit humanitate* (بالسنا) *et magnitudine* ([b]) *et gloriâ* (والمجد) *et integritate*

([20]) Veluti Adleri in *Mus. Cuf. Borg.* I. p. 82: „Veram absolutamque hujus tituli explicationem primum invenit doctiss. O. G. Tychsen"; et Rosarii Gregorii l. c. p. 174: „Quicunque vel summis labiis litteraturam Cuficam attigit, plane intelligit, quantum textui Cufico interpretatio O. G. Tychsenii ad amussim respondeat." Adde et Murr. in *Journal* passim, ut T. XV. p. 279, et in *Inscript. Arab.* p. 7. Atque ipse quondam Tychsenius: „Nunmehr halte ich meine Uebersetzung des Pluvialis für völlig gerechtfertigt und zuverlässig" (vid. Murr. *Journ.* T. XV. p. 267.)

([21]) Casirius transscripta a se vertere supersedit. Quae eorum versio apud Murr. exstat et ab hoc profecta esse videtur, parum accurata est. Igitur hanc quidem, ut a Casirio alienam, non protuli.

(*a*) Koehlerus hoc pro بالجزية exaratum esse statuebat.

(*b*) Nagel: *reverentia.*

et vestibus coloratis (vel monilibus, — والجال? (c)) *et excellentiá et elephantis* (والنبول (d)) *et regibus* (والافيال) *et beneficentiá et majestate et gloriá*

et decore. Intueatur autem (Rex vel Imperator) *obsequii promptitudinem, non spem* (s. sperandum ex pretio lucrum) (ويلوح الامابر ما الامال) (e), *et gaudeat* (وطيّب) *diebus et noctibus* (f) *sine defectu*

et sine vicissitudine cum robore et jurium prosecutione (والدعاية) (g) *et* (eorum) *custodiá et praesidio et liberali usu* (والسنط) (h) *et pace* (i)

et victoriá et sufficientiá (k). *Extendat Deus pupillam aetatis ejus* (بد الله مقلة سنيه) (l) *ad terminum* (بارق) *viginti et quingentorum* (annorum) (m).

B) Tychseniana novissima.

Hoc est aliquid *de eo, quod confectum est pro dignitate* (بالجراية) *regiá, quae illustretur felicitate, comitate, famá* (الجد), *perfectione*,

(c) Nag. et Koehl. *camelis.*

(d) Hoc et ipsum erronee positum pro والافيال autumabat Koehlerus.

(e) Nagel: *ac respiciat* (accipiens) *tenuem Ducem* (Emirum, qui hoc dat), *non spem* (s. non quod exspectandum erat a reverente Emiro).

(f) Nag.: *et felices sentiat dies et noctes*

(g) Nag.: *cum potentiá et rebus expetendis*

(h) Nag.: *favore* (coelesti).

(i) Id.: *salute.*

(k) Idem: *et copiá rerum.*

(l) N. *Proroget Deus intuitum annorum ejus.*

(m) i. e. explicante Nagelio: Faxit Deus, ut accipiens hoc pallium inter vivos conspiciatur 520 annos; qui numerus (observante eodem) fortasse hic positus, quod pallium hoc a. 520. H. confectum sit. — Koehlerus vertit: *Deus proroget terminum aetatis ejus. In Maref anno 520.*, additque, sibi لله etiam mendose pro الله scriptum et pro بارق legendum videri بارب *in Mareb*, Arabiae felicis urbe.

vitae duratione, beneficentiâ, affabilitate, facilitate, clementiâ, humanitate, magnificentiâ,
decore, assecutione securitatis (الامانة) , *divitiis* (الامال) , *faustis diebus ac noctibus, sine imminutione*
et sine vicissitudine, nec non cum virtute, votorum complemento (الرعاية) , *conservatione, tutelâ et fortunâ, salute,*
victoriâ rerumque copiâ; in metropoli Siciliae, anno octavo et vicesimo et quingentesimo.

C) Mea transscriptio et interpretatio.

مما عمل بالخزانة الملكية المعمورة بالسعد والاجلال والجد[a] والكمال
والطول والافضال والقبول والاقبال والسماحة والجلال والفخر
والجمال وبلوغ الاماني[b] والآمال وطيب الايام والليال بلا زوال
ولا انتقال بالعز والرعاية[c] والحفظ والحماية والسعد والسلامة
والنصر[d] والكفاية بمدينة صقلية سنة ثمان وعشرين وخمسماية

(a) Casiri: والمحد
(b) Cas. الامانة
(c) Cas. والرعاية
(d) id. والنصرة

Est ex iis, quae fabricata sunt (i. e. Hoc fabricatum est) *in officinâ Regiâ, quae floret felicitate et magnificentiâ, prosperâ sorte et summâ perfectione,*
excellentiâ et eminentiâ, gratiâ et fortunâ secundâ, liberalitate et majestate, gloriâ
et pulchritudine, consecutione votorum exspectationumque et suavitate dierum noctiumque absque defectu
et mutatione, potentiâ et curâ sollicitâ, custodiâ et tutelâ, felicitate et incolumitate,
victoriâ et sufficientiâ, in urbe (primariâ) *Siciliae* (i. e. Panormi ([22])) *anno quingentesimo vigesimo octavo* (qui incip. d. 31. Oct. a. p. C. n. 1133. et in Rogerii II. Normanni imperium incidit).

§. 3.

Annotationes criticae et philologicae.

Primi vocabuli ما lectio nullam habet dubitationem. Nam quod prima littera non sit clausa, id *Mim* initiali saepe accidit. Ex innumeris exemplis adducere sufficiet, quae in Mur. d'Ohssonii Tab. III. varia scripturae Arabicae genera continente ([23]) cernuntur vocabula مقبول, مسعود, et مبغوض, nec non منكلى in numis Krimensibus.

Vocem tertiam b. Tychsenius postquam بالجراة legisset, invitâ quidem scripturâ Cuficâ ([24]), deinde, licet perspectâ a Casirio verâ, quae hic obtinet, ratione Cuficâ, incertus tamen بالخزانة inter et بالمراة haerebat; denique, his rejectis بالمرابة legendum censuit (v. *Elementale Syriacum* p. 171. et Murrii *Beyträge* l. c.) idque vertendum: *pro dignitate.* Ita quidem legi posse haud

---

([22]) Panormum hodie Palermo dici constat.

([23]) *Schilderung des Othom. Reichs.* Th. I.

([24]) Id quod tunc quidem animadvertisse non videtur. V. Murr. *Journ.* XV. p. 385 sq.

negaverim, sed lectum verti licere: *pro dignitate*, id nego. Nec درابة hoc significat, nec praepositionem ب *pro*, hoc quidem sensu, vertas. Unice vera lectio est بالخزانة, quam eandem etiam *Casirius* amplexus est. خزانة omne quidem *conditorium*, sed in regiâ potissimum indicat „gazophylacium, in quo non modo Majestatis pecunia deponitur, verum etiam cimelia ac pretiosa quaevis obserata custodiuntur a thesaurario regis", uti de aulâ Persicâ Kaempfer in *Amoenitat. Exot.* p. 127; vel idem valet atque Persarum كارخانه de quo idem Kaempfer l. c. p. 126. hunc in modum: „جبهخانه i. e. armamentarium, quod et كارخانه seu domus utensilium [officinam seu fabricam vertere mallem] vocatur; siquidem in eâ non modo apparatus militares, videlicet sclopeta, acinaces, loricae, sarissae, hastae, sed et varia utensilia, velut specula, imagines, tubi optici, et paris conditionis alia; nec minus, quae ab exteris principibus dono mittuntur, curiosa variae inventionis opera, reponuntur. Est officina haec una ex amplissimis et primariis, cujus praefecto parent plurimi fabri, caelatores et id genus metallarii plures, facientes suae artis opera in singulis quique officinis." ([25]) Tale rerum pretiosarum atque admirabilium Museum augustum intelligo illam خزانة, cui destinatum se fatetur *Globus coelestis Cuficus* ([26])

([25]) Cf. Chardin T. II. p. 109. ed. Langl. „Le roi et les grands de Perse ont chez eux des manufactures de toute sorte d'arts et de metiers; ils les appellent *Carcone* (*Kár-khaunéh*) l. e. maison de travail, ou proprement laboratoire. C'est comme la galerie du grand duc de Florence, ou les galeries du Louvre. On entretient là-dedans un grand nombre d'excellens maitres, qui ont pension et leur nourriture toute leur vie."

([26]) Hunc globum qui confecit a. H. 622, nominatur „*Caissar ben Abi al Casem ben Mosafer* (?) *Alabraki* (?) *Alhanafi*", cujus nominis astronomum vel mathematicum in libris frustra a se quaesitum esse fatetur Assemanius p. LXXIX. Mihi vero dubium non est, quin celeberrimus ille mathematicus علم الدين قيصر بن ابى القاسم [بن] عبد الغنى الفقيه الحنفى المقرى المعروف بتعاسيف *'Alem-ed-din Käifar filius Abi-'l-Käsim 'Abd-il-ghany, juris sacri peritus juxta ritum 'Hanefiticum, lector Koranicus, vulgo sub nomine Te'asif notus,* intelligendus sit, qui natus in Aegypto a. H. 574, diem supremum obiit Damasci a. 649. mense 7. teste Abulf. in *Ann.* T. IV. p. 528, qui idem p. 478. Principem

a S. **Assemani** peculiari commentario (ed. Patavii a. cIↄIↄccxc.) illustratus, ita habens: برسم خزانة مولانا السلطان الملك الكامل i. e. *destinatus Museo* (propr. *cum destinatione pro Museo*) *Domini nostri Sultani* etc. ([27]) Et quidni Pallii quoque nostri الخزانة tale Museum augustum cum sibi annexis officinis mechanicis, veluti textrinâ, innuere statuas, ideoque tituli initium ما عمل بالخزانة الملكية ita vertas: *hoc est unum de illis operibus, quae fabricata sunt in Officinâ Musei regii* —

Vocabulum quintum المعمورة, non vero المقبورة, quod plane absonum in *Element. Arab.* l. l. **Tychsenius** admisit, legendum esse, in dubio non est positum. Sed ipsius vocabuli معمور, utut frequens sit, vim genuinam atque usum, quia nec in hac inscriptione nec in libris passim satis recte intellectum video, paucis exponere, non ab re erit. Verbum عمر denotat *colere, cultum, habitatum reddere locum*, veluti عمر الاطراف *omnes provincias cultas reddidit*, عمرت بغداد فى ايامه *eo regnante Baghdadum floruit.* Inde معمور, nec non عامر vi passivâ praeditum ([28]), propr. *cultus, habitatus, frequens incolis, domibus, bonis aliisve rebus*, inde *florens, celeber.* Exempla haec habeto: المعمورة scil. الارض ἡ οἰκουμένη, *terra habitata;*

Hamatensem, Melik-el-muszaffer Taḱy-ed-din Maʿhmud († a. 642.) ejus operâ usum esse tradit. Haec observatio quum adeo in promtu sit, fieri potest, ut jam diu ante me ab aliis in medium sit prolata; quod quidem factum esse, me latet.

([27]) Quamquam hic quidem etiam ad *Bibliothecam regiam* trahere liceat; nam hanc quoque significationem خزانة, sive cum addito الكتب sive absolute positum, habet. Sic apud ill. **S. de Sacy** in *Mémoire sur la litterature des Arabes* p. 18. et passim in fronte vel ad calcem Codicum MSS. Arabicorum. Persicorum, al. veluti in fronte Codicis فاكهة الخلفا in Mus. Asiat. Petr: برسم الخزانة العالية المولوية ابى الخير محمد i. e. *destinatus pro bibliothecâ celsâ, Maulaicâ* (i. e. celsi, domini) *Abu'l-cheir Muʿhammedis.* — Quod restat, faciunt haec ad illustrandum locum **Esrae** VI. 1: בקרו בבית ספריא די גנזיא מהחתין תמה בבבל *Quaesiverunt in bibliothecâ, ubi thesauri reponebantur Babyloniae.* coll. V. 17.

([28]) Hac super caussâ vid. **Bochart.** in *Hieroz.* I. p. 89. **A. Schult.** ad *Hamas.* p. 511. **H. A. Schult.** ad **Meidan.** *Prov. Arab.* p. 111. **Reisk.** ad **Abulf.** T. III. p. 600.

وكانت الدنيا فى ايامه عامرة *eo regnante terra omnibus copiis florebat*; مدينة عامرة *urbs culta, frequens* (29), *celebris*; سوق عامر *forum frequens, celebre*; الجامع المعمور بذكر الله *templum frequens piis exercitiis, i. in quo pia exercitia vigent.* Similiter البيت المعمور (in *Korano*) *aedes frequentissima*, scil. بالثناء على الله تع *dei celebratione* vel numero Deum colentium; quo quidem nomine afficiunt antiquam aedem Meccanam seu Ka'bam illam, quam tempore diluvii in coelum sublatam esse et in quà singulis diebus septuaginta mille angelos Dei laudes celebrare volunt. Muradgea d'Ohsson (30) vim denominationis non animadvertens vertit: *domus prosperitatis.* Sed aut eo, quo supra dixi, modo vertendum, aut, si mavis, *celeberrima, vel augustissima domus Dei.*

Etenim ut Latinorum *celeber* etiam de omni *claro*, *inclyto* dicitur, ita معمور et عامر *cultus*, *frequens*, *florens*, ab Arabibus, Persis Turcisque adhiberi amat tamquam locorum epitheton, usu idem fere valens atque *regius, augustus*, quamquam frequentiae, celebritatis statusque florentis notio subsit. Inde dicunt: البندر المعمور *portus frequentissimus* — *regius*; الخزينة العامرة *gaza frequens, dives, regia*; دار الطباعة المعمورة vel العامرة — *officina typographica florentissima* i. e. *Sultanica s. regia.*

Jam in pallio imperiali quod simpliciter dici potuisset الخزانة الملكية المعمورة *officina regia augusta* (propr. *frequens* s. *florens*,), ut in مقدمة الادب apud Lorsbach. *Archiv* II. p. 16. legitur خزانة كتبه المعمورة — id amplificatum cernimus nominatis bonis illis omnibus, quibus illa gaudet, الخزانة الملكية المعمورة بالسعد والاجلال الخ *officina regia florens prosperitate et magnificentiâ* etc. Quod autem inter illa bona, quibus laeta florere dicitur officina, pleraque talia sunt, quae

(29) Sive numero incolarum, sive aedificiis, unde pleniores locutiones: مدينة عامرة بالناس et مدينة عامرة الديار

(30) *Allg. Schild. des Othom. Reichs.* I. p. 271.

de ipso rege potius quam de ejus officinâ praedicaveris, id ex more Arabum est; conferatur inscriptio ad calcem codicis نخبة الدهر haec : هذا الكتاب برسم الخزانة العالية المولوية المخدومية السيفية مولانا وسيدنا المقر الاشرف العالى المولوى المالكى المخدومى السيفى مولانا ملك الامرا دمر داش الخ i. e. *hic liber destinatus est pro bibliothecâ Alicâ Maulaicâ Machdumicâ Seificâ heri et domini nostri, Excellentiae nobilissimae et celsae, Maulaicae Malikicae Machdumicae Seificae, Domini nostri, Regis Emirorum, Temir-daschi;* et alibi : صدر هذا المكتوب العلى الامامى الكريم المروانى الخليفى الهاشمى الفاطمى الخ *Missa est haec epistola celsa Imamica nobilis Merwanica Chalifica Haschemitica Fatimitica* i. e. vertente cel. Silv. de Sacy: *La présente, très-elevée et très-noble lettre de l'Imam, du fils de Merwan, du Khalife sorti du sang de Haschem, du descendant de Fatime* etc.

Quod restat, moneo pro المعمورة legere etiam licere المغمورة بالسعد i. e. *cumulatum prosperitate*, prout Arabes passim dicunt مغمور بالانعام vel بالعطايا *beneficiis*, *donis cumulatus*. Hoc tamen admittere non potui. Unice verum المعمور

Pro بالسعد Tychsenius بالسنا legere maluit parum idoneis argumentis nisus. (vid. Murr. J. XV. p. 386.) Deinde inter utramque lectionem dubius haerebat. (vid. *Elem. Arab.* l. c.) Sed hic quoque dubitationi locus non est. Unice vera lectio بالسعد

الاجلال vi passivâ: *magnificentiam* seu *majestatem* designat. Non recte Tychsenius: *comitas*; ut quae potestas nec huic vocabulo nec ejus radici جل inest. Casirii autem الجلال quod apud Murr. (*Journal.* XV. p. 263. 278. prostat) calami errori debetur, estque in ejusd. Interpr. p. 8. correctum.

الجد *prosperâ sorte.* Tychs. et Casir. legerunt المجد *gloria.* Verum quod pro م habuere, non est, nisi merum vinculum, τηυ ل cum ج jun-

gens, magis solito inflexum; cui sententiae suffragabitur, quisquis vocabula hujus ipsius inscriptionis الجلال , الجمال et الحماية contulerit.

الطول والافضال *excellentia*, proprie *longitudo*, *et eminentia* propr. *exuberantia*. Haec ex linguae Arab. usu. Minus recte Tychs. *vitae duratio et beneficentia* vertit.

القبول والاقبال *gratia* (quâ quis floret) *et fortuna secunda*. Tychsenius: *affabilitas et facilitas*. Prius si idem valet atque acceptatio, comitas, ferri utcunque potest; alterum vero, *facilitas*, Arabico اقبال non respondet.

السماحة والجلال *munificentia et majestas*. Haud recte Tychs. *clementia et humanitas*.

بلوغ الامانى والامال *consecutio votorum et exspectationum*. بلغ verbum de *consequendo voto* passim occurrit, ipsumque بلوغ cum امنية, cujus hîc pluralis امانى est, habes in *Vitâ Timuri* T. I. p. 356. ed. Mang: مستبشر ببلوغ الامنية *laetus se voti compotem esse factum*. Male Casirius pro الامانى legit الامانة Non ة sed ى finale cum caudâ erectâ est, quod in Cuficis cernitur. Lectionem Casirianam, quam sibi valde arridere fassus erat Murrius (*Journ.* XV. p. 280. et in *Interpret.* p. 15.) mox et Tychsenius, missâ pejore adhuc, quam antea protulerat atque adeo contra omnem fidem Cuficam defendere pessimis rationibus sustinuerat, (31) lectione, amplexus est, sed longe a veritate aberravit vertens بلوغ الامانة والامال *adsecutio securitatis, et divitiae*. Nam الامال *divitias* non denotat. Patet, optimum virum امال (*spes, exspectationes*) et اموال (*opes*) promiscue habuisse (32).

---

(31) Vid. Murr. *J.* XV. p. 387.

(32) Hanc ipsam lectionem Casirianam, tamquam unice veram, etiam cel. Lancius nuperrime in medium protulit, substituens eam lectioni pristinae: بلوغ الامير والامال quam ab ipso Tychsenio dudum retractatam esse, cum fugisse videtur. „Sembrava (inquit) al ch. Sig. Tychsen d'aver tocca la meta in leggendo بلوغ

طيب الايام والليال *suavitas dierum noctiumque.* Tychs. vertens: *fausti dies ac noctes* τῳ طيب potestatem attribuit alienam. طيب الليلة adest etiam apud Elmacin. p. 129.

العز والرعاية *potentia et cura sollicita.* العز a Tychs. versum est: *virtus.* Non satis recte. Tam *potentiam* quam *gloriam* denotat. Alterum vocabulum ab eodem et Casirio lectum est الدعاية perperam. In scripturâ Cuficâ non intercedit ea inter litteras ر *r* et د *d* figurae similitudo, quam, in scripturâ Arabicâ recentiori passim obviam, multorum graviumque errorum matrem esse alibi probavi ([33]). Character Cuficus lectionem الدعاية respuit. د ejus quâ figura gaudeat, disce ex بالسعد , الجد , et بمدينة , quae vocabula haec ipsa inscriptio suppeditat. Accedit, quod vocabulum دعاية nihili est, nec scio, significationem: *votorum complementum*, quâ hic auctum est, unde vir beatae memoriae hauserit. Contra الرعاية a me illi substitutum tum scripturae Cuficae ratio tuetur (cf. simillimum *r* in يرجعون Tabulae III. adj. *Grammat. Arab.* de Sacyanae, et *Inscrip. Kiblae Cordubensis*) tum linguae Arabicae consuetudo.

النصر. Casirius, (nec non Tychs. apud Murr. quidem) dedit النصرة, verum του ة nullum est vestigium. Nec unde in has transscriptiones irrepere potuerit, video. Denique الكفاية *sufficientia* a Tychs. redditum est: *rerum copia*, non satis recte. Vocabulum hoc denotat: *rebus gerendis parem esse* vel *sufficere.*

Quod denique attinet ad originem hujus inscriptionis et viam,

---

الامير والامال *splendore del principe e delle richezze;* ma se leggeva بلوغ الأمانة والامال *conseguimento di sicurezza e speranze*, e vale, *il conseguire ciò, che mai può sperarsi pel sicuro stabilimento*, avrebbe dato una giusta interpretazione." Vid. *Lettera dell' Abate* M. A. Lanci *sul Cufico sepolcr. Monumento* ecc. p. 57 sq.

(33) Adisis *De origine vocabuli Russici Деньги* pag. 21 — 23.

quà hoc pallium inter insignia Imperii Germanici pervenerit, acquiescere licebit in b. Tychsenii sententià, quae fert: hoc pallium a. Chr. 1136. vel 1137. illi, qui tunc Neapolis et Siciliae rex erat, Rogero II. ab Arabibus Siculis ad captandam regiam benevolentiam dono esse oblatum, videri autem ab Henrico VI. Imperatore, qui Constantiam illius Rogeri filiam in matrimonium duxerat, exeunte saeculo XII. in Germaniam ablatum esse. De ceteris, quae tum ad ipsum hoc pallium tum ad varias inscriptionis ejus interpretationes spectant, vide ven. A. Th. Hartmanni librum egregium, cui titulus est: *Oluf Gerhard Tychsen oder Wanderungen durch die m. Gebiete der biblisch-asiatischen Literatur*. Bd. II. Abth. II. pp. 128 — 137.

INSCRIPTIONUM

IN

TIBIALIUM IMPER. INAUGUR. FASCIIS

AURO TEXTILI PICTARUM

RELIQUIAE.

Inter ornamenta et insignia, quibus S. Rom. German. Imperii Caesares solemni ritu inaugurari solebant, Tibialia etiam asservantur serica coccinei coloris, inscriptionibus Arabicis, in supremo margine auro textili pictis, sed mutilis ornata. His et ipsis paullisper immorari hac occasione moneor.

1.

In altero Tibiali quae supersunt litteris retrogradis [1], b. Tychsenius transscripsit: البد مالكى المعظم vertitque: *Fascia regia magnifica.* Verum haec, ut ab Arabismo abhorrent, ita nec hanc nec ullam idoneam admittunt interpretationem. لبد *libd* non significat *fasciam;* litterae ا hic nec locus esse, nec articuli notio subesse potest; nec مالكى *regium* denotat, nec articulo carere posset, quia المعظم eo auctum.

Ego mallem ita transscribere: ـ : الملك المعظم الجـ : eaque ita suppleta برسم الملك المعظم الجليل vertere: *Pro* [2] *Rege augusto illustri.*

(1) Vide Murr *Journal* etc. Tom. X. p. 374. eique adjunctam Tabul. lign. et Tom. XV. p. 339 — 342. et *ejusd. Inscript. Arab. Pallii Imp.* p. 23. ibique repetitam Tab. I. item Rosarii Gregorio *Rer. Arab. Sic. Coll.* p. 173. ubi aere expressa Tab.

(2) Propr. *Cum destinatione pro* — vide supr. p. 43. et 45.

2.

Ab iis, quae in alterius Tibialis fasciis cernuntur ([3]), prudens abstinerem, quia adeo mutilata sunt, ut certi quid ex iis elicere frustra studueris. Sed monere saltim expediet, quae in iis Tychsenius legere sibi visus est: لشيع وللا *strenuo et:*, item لغبط : مغت *felici sapienti*, ea prorsus a veritate aliena esse. His quae certiora substituam non habeo. Observare tamen juvat, prius illud vocabulum potius ad لستعمه vel لستعم لا accedere videri (num forte لستعصم?), alterum autem, inferiore illud loco positum, العنه referre videri; quod superiore loco, non tangere praestabit.

([3]) Vide Murr *Neues Journal.* Tom. I. p. 184. et *Inscript. Ar. Pallii Imp.* p. 24 ibique adj. Tabulam ligno excusam.

TEMPLI CATHEDRALIS CORDUBENSIS, MUḦAMMEDANORUM OLIM SYNAGOGAE,

INSCRIPTIO CUFICA ANNI P. C. DCCCCLXV,

NOVIS POST ALIOS CURIS TRACTATA.

Cordubae quod hodiedum exstat, templum Muḣammedanum in aedem Christianam conversum, ceu splendoris Arabici monumentum mirati sunt atque mirantur ([1]). Conditum a Nafir-lidin-allah Abd-ur-Raḣman, Chalifa Hispaniae, eoque a. 961. aerae nostrae mortuo, ab ipsius filio Mustanfir Ḣakem, nec non ab Abu-Amir Muḥammed, Wesiro, varie auctum esse tradit 'Abd-ul-Waḣid Marrakeschy ([2]), in ejus laudem addens: وهو مسجد لم ينفق فيه درهم الا من خمس المغنم وهو معظم القدر عند اهل الاندلس مبارك لا يصلي فيه احد ويدعوا بشى من امر الدنيا والاخرة الا استجيب له قد عرف ذلك من امره واشتهر i. e. *In hoc templum, ut exstruendum ita augendum, non impensum est argenti aliquid, nisi quod ex quintâ spoliorum parte* (quae principi debetur) *provenerat. Summae autem sanctitatis laude apud Hispanos floret, gaudens praesenti divino favore, adeo ut nemo in eo precibus Deum adiens, rem, sive hanc vitam sive salutem spectet aeternam, expetat, quin Deus ratas ejus preces efficiat. Quae hujus templi virtus in vulgus nota est.* ([3])

([1]) Ibn-el-Wardy: وبها الجامع الذى ليس فى معمور الارض مثله *Ibi templum cathedrale Muḣammedanum est, cui comparandum alterum in terrâ, quam late patet, non exstat.*

([2]) Vid. Abulfedae *Tabulae quaedam geogr.* etc. *ed.* Rinck. p. 167 sq.

([3]) Hunc locum ita vertit I. C. G. Karsten: *so dass alle Kosten den fünften Theil der Beute, die den Spaniern abgenommen und sehr gross war, betrugen. Aber niemand wollte in dieser Moschee für sein zeitliches und ewiges Wohl eher beten, als bis die Antwort Hakems bekannt wurde, wodurch sich diese Sache verbreitete.* Vid. *Des* Marockaners Abdulvahed Temimi *Fragmente über*

De hujus templi Mihrab s. Kiblà haec apud Ibn-el-Wardyum leguntur وبقبلته صناعات تدهش العقول وعلى فرجة المحراب سبع قسى قائمة على عمد طول كل قوس فوق القامة قد تحير الروم والمسلمون فى حسن وصفها وفى عضادتى المحراب اربعة اعمدة اثنان اخضران واثنان لازورديان ليس لهم قيمة *In ejus Kiblâ opera conspiciuntur tam affabre facta, ut contemplantium animos in stuporem dent. Quo loco Mihrab supra distenditur* (4), *septem arcus sunt, columnis nixi, singuli ultra orgyiae longitudinem protensi, ad quorum formam pulcherrimam et Europaei et Muhammedani stupent. In ambabus ejus parastatis quatuor eriguntur columnae, binae coloris viridis, binae ex lapide lazuli, quarum inaestimabile est pretium.*

Jam in hac Kiblà Inscriptio Cufica hodiedum legitur, quae Maroccano (Marrakeschy) supra laudato, templum a Mustansir Hakem Chalifà auctum ornatumque tradenti, fidem facit. Ejus mihi quidem, quamvis diligenter circumspicienti, non innotuit, nisi una illa interpretatio, a b. **Tychsenio** profecta (5), quam ab ipso editam in *Elementali Arabico* p. 59 sq., deinceps *tituli icone auctam* b. **Murrius** in *Beyträg. zur Arabischen Litteratur* p. 5. repetiit, et posthac nonnulli viri docti corrigere studuerunt. Hi quum spicilegii aliquid hic quoque mihi reliquerint, facere aliquid, quod ex dignitate rei sit, mihi visus sum, si meas qualescunque in hanc inscriptionem curas diutius latere haud sinerem. Eam igitur hunc in modum interpretandam censui atque censeo:

In nomine Dei misericordis et clementis. Observate precationes et precationem

---

Spanien aus d. Arab. übersetzt, (Rostock 1801.) Prope est, ut credas, nos ambo nobis *monumentum Cuficum* interpretandum sumsisse! Libellus Karstenianus dici non potest quot quamque gravibus scateat vitiis.

(4) على فرجة المحراب quà aptiore ratione reddam, non satis scio.

(4) Paratam etiam a Casirio hujus tituli interpretationem, neque tamen editam, esse refert Murr. in *Inscript. Ar. Pallii Imp* p 7. not.

mediam, atque state devoti. [1]) *Imamus el-Mustanfir-billah*

Ȧbd-ullah el-Ḣakem Emirus Fidelium, [2]) *(quem Deus prospero successu uti velit!)* [3]) *postquam secundantem Deum*

in exstruendo hoc Miḣrabo [4]) *expertus est, marmore* [5]) *idem induci jussit, desiderans* (pro hoc pio opere)

amplam remunerationem atque eximium reditum (ad Deum nempe, seu beatitudinem coelestem). [6]) *'Itaque hoc confectum est auspiciis Clientis* [7])

et Cubicularii [8]) *ejus, Dschaʿfar[i] filii Ȧbd-ur-Raḣman[i]* [9]) *(quem Deus gratum sibi habeat!), opus moderantibus,*

Muḣammede filio Jemlich[i] (?) [10]), *Ȧḣmede filio Nafr[i] et Chuld[o]* [11]) *filio Haschem[i], praefectis*

cohorti ejus praetoriae [12]), *'et Motref* [13]) *filio Ȧbd-ur-Raḣman[i] Secretario, mancipiis ipsius* [14]), *mense*

Su'l-ḣiddsche anni trecentesimi quinquagesimi quarti [15]). *Deo*

quisquis totum se committit recteque vitam instituit, ansam prehendit

firmissimam; ad Deum autem exitus rerum est. [16])

[1]) Ex *K̈oran.* II. 239.

[2]) Chalifarum Umaijadarum Hispaniae ordine nonus, qui ab a. C. 961 usq. ad a. 976 regnavit. V. Cardonne's *Geschichte von Africa und Spanien etc. übers. v.* Murr. T. I. p. 225 sqq. In titulo ejus scribendo sententiae variant. Apud Rodericum Toletanum (p. 26.) scriptus est المستقر *el-Mustaḳarr*, quam rationem Herbelotus art. Hakem admisit. In Abu'l-fedae *Annalibus* (T. II. p. 472.) prostat المنتصر *el-Muntafir*, approbante id Reiskio (ad Abulf. l. c. not. 360.) eique ex numo fidem addere conante ill. Th. Ch. Tychsenio (de *Numis Arab. hisp.* p. 80). Sed unice verum esse, etiam apud Cardonnium obvium, *el-Mus-*

tanfir, tum Numorum, ex quibus nominâsse sufficiet *Nanian.* LXXXIII, tum Inscriptionis nostrae auctoritas probat. Abulfedaeum المنصر *el-Muntafir* ortum est ex contractâ, ut passim exaratur, litterâ س, de quâ vid. me ad *Onych. Sorano-Neapol.* p. 45 sq. Quam eandem rationem et in numo *Goettingensi* admittere licet, qui (id quod obiter attingo), ut *Nanianus* laudatus, non بمدينة المرية *in urbe Almeriâ*, sed بمدينة الزهراء *in urbe al-Zehrâ* (de quâ videsis Cardonne, *übers. v.* Murr. Th. I. p. 217.) cusus est.

[3]) Tychsenius: *cui Deus benefaciat*, quod mihi parum probatur. اصلحه الله formulam esse, quae nominibus principum alienae fidei vel etiam hostium addi soleat, Meninskius annotavit. Quâ in caussâ versantem eam commode verteris: *quem Deus ad meliorem mentem transferat!* Alius ejus usus in allocutionibus obtinet. Tunc اصلحك الله, vel اصلح الله الامير (الملك) apprecatio est, quâ Arabes liberioris sermonis audaciam suam excusaturi erga principes utuntur, q. d. *Deus te* (si forte ob dicta vel dicenda a me alienior sis vel fueris,) *ad sensum meliorem*, *ad benevolentiam erga me ducat*, *melioribus te erga me imbuat!* ita ut ipsis idem fere valeat, atque nostratibus suum: *Verzeihen Sie!* vel *Ich bitte um Vergebung!* v. Reisk. in Censurâ *Caabi Lettiani* in *Novis Actis Eruditorum.* a. 1747. Ibn-Challekan apud S. de Sacy in *Mémoire sur la litt. des Arabes* p. 79. 80. *ejusd. Chrest. Ar.* p. 37. Ibn-el-Wardy ed. Hylander. P. V. p. 4. Eutychii Annal. ed. Pocock. T. II. p. 426. Jam in inscriptione nostrâ Chalifae nomini postpositum اصلحه الله numquid vertendum: *quem Deus magis magisque emendet*, *magis magisque probum reddat!* et existimandum est, hanc formulam hic, ubi ipsi Chalifae sermo tribui videatur, modestiae datam et melioris sensus desiderio indicando esse? collato العبد الفقير به auctorum et respectu habito ad illa, pietatis et modestiae indicia, quae mox subjiciuntur رغبة في جزيل الثواب وكريم الماب An vero اصلحه hîc potius vertendum: Deus *eum prospere succedere faciat, secundet?* Hoc mallem. Obtinebat enim

hôc ipsum verbum اصلح etiam in faustâ precatione, quae in Chutbis fiebat Chalifae regnanti. Sic Ibn-Fofzlan (apud Jakutum in *Lexico geograph. majore*) Regi Bulgharorum de Muktediro Chalifâ narrat: هذا مولاك امير المومنين قد وصى لنفسه ان يقال على المنابر في الشرق والغرب اللهم اصلح عبدك وخليفتك جعفر الامام المقتدر بالله امير المومنين *Ille Dominus tuus, ipse Emirus Fidelium, pro se praescripsit ut in templorum per Orientem et Occidentem suggestis hunc in modum precentur: o mi Deus! fac feliciter succedat servus tuus et vicarius tuus* (in terris), *Dschafar Jmamus el-Muktedir-billah Emirus Fidelium!* (6)

4) Tychs. legit سيده vertitque hunc locum: *postquam — divino auxilio ad imperium evectus fuerat.* Perperam. Omnino legendum est شيده, quod idem Censorem libri Murriani in *Allg. Lit. Zeitung* a. 1805. N° 283. et S. de Sacy in *Magasin encycl.* IX. Année, T. VI. p. 399. jam monuisse nunc video.

(*) Ab hoc hujus formulae in Chutbis usu est, quod Tahir, Chorasanae praefectus, Mamuni Chalifae imperium quum detrectare coepisset, in Chutbâ eo loco, ubi Chalifae bene precari debebat, hanc sufficeret precationem: اللهم اصلح امة محمد بما اصلحت به اوليائك واكفها شر من بغى عليها وحسد (؟) بكم (l. بلم) الشعث وحقن (وحقن .l) الدماء واصلاح ذات البين *O mi Deus! secunda populum Muhammedanum eodem, quo sanctos tuos secundâsti, favore, et arce procul ab eo noxiam omnium, qui injustos erga eum se gerunt*, et (tribue ei?) *collectionem dispersorum, conservationem sanguinis et compositionem discordiarum* s. fac, ut dispersa rerum eis colligantur et in integrum restituantur, ut sanguini eorum parcatur, ut discordiae eorum componantur). Vid. *Historia priorum Regum Persarum* &c. *ex* Mirchond. fol. textus 2. verso. Praestantissimus Jenisch minus recte ita vertit: *O Deus! conserva probum populum Moslemicum, uti probus a sanctis tuis effectus est. Retribue malum viro, qui adversus hunc rebellis, turbas excitat, ejusque sanguini inhiat. Fiat expiatio inter utrumque.* Etiam Herbelotus, apud quem art. *Khothbah* initium hujus precationis exstat, non recte cepit.

Ill. Castiglionium si audis, formula اصلحه الله etiam in Numis offertur. Vid. *Monete Cufiche dell' I. R. Museo di Milano* p. 39. Sed in utroque numo ibi laudato dubium mihi non est, quin اصلحه non adsit; adeo aliena sunt, quae ibi simul adesse perhibentur.

[5]) *Mihrab*, quod et *Kibla* audit, est recessus seu cavernula (*niche*) oblonga supra fere fornicata, facta in templorum Muhammedanorum muro Meccae obverso, in quà eorum codex sacer repositus est, et quo orantes vultum convertunt, nisi forte, quemadmodum *in templo aliquo veteris suburbii Tatarici Kasanensis* accidisse memini, in definiundà ejus Kiblà ab astronomis erratum fuerit; tum enim non ad eam, quae in templo designata, sed ad veram Kiblam Meccanam i. e. ad eum tractum templi, qui vere Meccam spectat, sese convertunt.

[6]) رُخام Tychsenio est *marmor Parium* i. e. album. Sed est nomen generale marmoris, cujus variae species epithetis colorem definientibus distingui solent, veluti رخام احمر *marmor rubrum*, رّ ابيض *m. album*, رّ مجزع *m. colore conchulae Veneris, albo nigroque distinctum* &c.

[7]) يكسونه cum Tychsenio, aeque ac يُكَسُّونَه legere licet, nec utrum praeferam, satis scio, quia tum scripturae Cuficae tum Arabismi ratio utrumque admittit. Mallem tamen posteriorem lectionem.

[8]) Hujus loci transscriptio ideoque etiam versio Tychseniana majorem in modum laborat. Sic enim legit: دخله في جزيل النوار وكريم الدار , quae etsi verti nequeunt, ita vertit: (utque Mihrab) *multis luminaribus* (*)) *et magnifico propylaeo ornaretur.* Haec sane tam aliena sunt, ut vel Censor libri Murriani in A. L. Z. l. c. in iis offenderet. Verum coeco mederi cupiens, quid fecit? pro cocco exoculatum reliquit. Scilicet vocabula دخله et الدار sive in apographo inscriptionis ad Tychsenium misso perperam

(*) Sic et Ignatius de Asso. v. ven. Hartmanni librum saepe laudatum T. II. P. 1. p. 363.

expressa, sive in ipso Mi'hrabo injuriam temporis passa esse conjiciens, pro دخله legi vult وبجله, pro النار autem النار, iisque mutatis locum ita vertendum existimat: *et illustravit* (Mi'hrabum) *per copiam luminum et decorem lampadum.* Addit: Die an dem Altar im Mi'hrab aufzustellenden Wachskerzen in Fackel-Form pflegen von den Stiftern der Moscheen zugleich gestiftet zu werden. Man s. d'Ohsson's *Schild. des Othom. R.* T. I. p. 326. Similiter *H.... n* (Herbin?) in *Magas. encycl.* IX. Année, T. VI. p. 278 المنارات legendum conjecerat et vertendum: *multis luminibus et magnifico candelabro.*

Unice vera lectio est رَغْبَةً فى جَزِيلِ الثَّوابِ وكَرِيمِ ٱلْمَآبِ Haec ut ductibus Cuficis et linguae Arabicae, ita mori loquendi tali in caussâ Muhammedanis solemni congruunt. Ad hunc quidem conferas velim perantiquam templi Medinensis inscriptionem ab Ibn-Koteibâ ad nos transmissam, in qua eadem fere sententia obtinet: امر عبد الله بن عبد الله بعمارة مسجد رسول الله سنة اثنتى ومايتى طلب جواب الله وطلب جزاء الله وطلب كرامة الله ان الله عنده حسن ثواب الدنيا والاخرة. *Imperavit servus Dei filius servi Dei restaurari oratorium Apostoli Dei anno CCII, quo quaerit remunerationem* (imo auditionem, ni f. legend. ثواب) *Dei, et compensationem Dei, et liberalitatem Dei; nam apud Deum est pulcherrima remuneratio, tam in hoc mundo, quam in futuro.* v. Reisk. Annotat. 34^am ad Abulf. *Ann.* T. I. — Vidi deinceps, eandem hujus commatis lectionem ab ill. S. de Sacy in *Magas. encycl.* l. supra laudato proditam esse, quocum viro doctissimo mihi convenisse rationem gaudeo.

7) مولى *maula.* Tychsenii „*propinquus*" Chalifae vim hujus vocabuli non satis reddit, cui non una significatio inest, cuique quod respondeat aliis in linguis frustra quaesieris. Denotat inprimis eum, *qui potentiori et nobiliori se adjungit, ut in ejus clientelâ h. e. auctoritate atque tutelâ sit eumque rursus tueatur, mu-*

tuis praestandis auxiliis, exp'icante Reiskio ad Abulf. *Syr.* ed. Koehl. p. 196, quem eundem Reiskium de hac voce pluribus disputantem consule in annot. hist. 18[a] ad Abulf. *Ann.* T. I. Conf. sis etiam, quae in libro: Ibn-Fofzlan's *und anderer Araber Nachrichten über die Russen* &c. p. 67 sqq. disserui. ([8])

[8]) حاجب *hadschib* proprie *velans, qui velum*, quod januae vices apud Orientales sustinet, *obtendit*, pecul. *conclavis regii velo praefectus*, ὁ ἐπὶ τῶν παραπετασμάτων, cubicularius, magister admissionum, le grand Chambellan; alibi et متولى الستر *praefectus veli*, vel الستار *velarius*, hodie in aulâ Osmanicâ قبوجى باشى. Ut پروانه *Perwaneh* ejusdem significationis nomen, apud Sultanos Seldschukidas etc. ita *Hadschib* apud Chalifas Abbasidicos et Fatimidicos, apud Emiros Samanidicos all., sed magis etiam apud seriores Chalifas Hispanicos summâ florebat auctoritate in rerump. administratione; unde Rodericus Toletanus Chalifae Hisp. Heschami Hadschibum, el-Manfurum nomine, non male interpretatus est per: *Vice-Rex.* Cf. Reisk. ad Abulf. *Ann.* T. II. not. 392. Herbel. art. Hageb. Cardonne, *übers. v.* Murr T. I. p. 213.

Ab hac, quâ Hadschibi apud principes Muhammedanos florebant, auctoritate factum, ut ipsorum nomina in numos admitterentur, v. Adleri *Mus. Cuf. Borg.* II. p. 161 sqq. et *Recens. Numorum Muhammedanorum*, qui in Museo Asiat Petrop. asservantur, p. 117. et alibi. Quid? quod eum ipsum *Dschafarum*, quo auspice Chalifam Mihrabum templi ornâsse inscriptio nostra docet, in numo deprehendi anecdoto, qui *Musei solitarii Imperat. Russ.* augustissimi est, et cujus A. H. haec exhibet: || الحاجب || الامام الحكم || امير المؤمنين || المستنصر بالله || جعفر

(*) Moneo, quam ill. Comes Castiglioni (*Monete Cufiche dell' I. R. Museo di Milano* p. XLI. et alibi) huic vocabulo, tum in numis tum in hac ipsa inscriptione, esse vult notionem *Luogotenente del Principe dei Credenti* prorsus alienam esse.

Etiam *Âbd-ur-Rahmanum*, patrem Dschafar[i], in inscriptione nostrà laudatum, vix dubium est, quin habeamus in N. *Naniano* LXXXIII. apud Assemanium T. II. (coll. ill. Tychs. *de num. Arab. Hisp.* p. 79.) cui addere juvat Numum Musei Rühliani Berolini, cusum in urbe al-Zehra a. 354, qui eodem titulo et nomine addito insignis est.

[9]) Redi ad extrema notae proxime praecedentis.

[10]) Hoc nomen cum Tychsenio نمشى *Namschi* legere non licet. Ductus Cufici suppeditant ىملح vel ىمىح, quod dubium est, quomodo legendum sit. Utraque enim transscriptio plures admittit lectiones, veluti يملح *Jemlih*, تملج *Temlidsch*, يمنج *Jeminedsch* &c.

[11]) حلد Cuficum tam خلد *Chuld*, quam جلد *Dscheld* legere licet. Utrumque nomen Arabicum est.

[12]) Tychs. شرطيه transscripsit, quod quidem per scripturae Cuficae rationem licet, per contextum non item. Is flagitat legi شرطته, quod non minus Cufico congruit. شرطة *cohors praetoria* est ([9]); hanc autem Chalifae Hispanico ex Turcis compositam fuisse, ex Cardonne Murriano (T. I. p. 226.) discimus; id quod propter nomen supra notà 10. tactum tacere nolui.

(*) Hoc idem vocabulum substituendum in Elmacino p. 149. inf. ubi legitur: *Anno H. 237. Mutewakkel praefecit Muhammedem filium Âbd-ullae filii Tahiri* السرطة واعمال السواد وخلافه ببغداد i. e. si Erpenium audis, „*Sartae et ditionibus Sawadae et vicariatui suo Bagdadi;*“ lege الشرطة *Schorta* verteque: *cohorti praetoriae* &c. Errorem ab Erpenio commissum miror repetitum esse a Jenischio in *Hist. vett. Regum Pers.* p. 91, quamquam Mirchond verum docere poterat, vid. l. c. fol. 4° verso: متوكل اورا صاحب شرط بغداد كردانيد در اعمال دار السلام نايب مناب خود ساخت quae tamen et ipsa non recte reddita sunt ab Editore: „*Mutewekilius eum exercitui praefectum et in omnibus simul terris Moslemicis vicarium sibi substituit.*“ Verte: *Mutewekkil eum cohorti praetoriae Baghdadensi praefecit et Vicarium* (s. Locumtenentem) *suum in territorio urbis Baghdad constituit.*

[13]) مطرف *Motref, Motrif, Motarrif* —

[14]) Tychs. vocabula الكاتب عبيدك juncta reddidit: *mancipiorum ejus scriba*, quamquam, ita quominus vertas, grammatica vetat. Scil. كاتب articulo auctum est. Hoc igitur ad solum Motref, ultimo loco memoratum, trahere fas est, عبيد autem tam ad eundem, quam ad omnes reliquos proxime praecedentes, qui hic more Orientali principis sui mancipia audiunt. Fateor tamen, عبيدك hoc quidem positum loco languere mihi videri; unde animus nonnunquam inclinavit ad legendum potius عهدك, licet nec hoc satis ad rem faciat.

[15]) i. e. mense Decembri a. 965. p. Chr. nat.

[16]) Ex Koran. XXXI, 21.

DE
SPECULO AEREO
BYLÄRIENSI & SAMAROWIENSI,
ITEM DE
TALISMANO K̈ASANENSI.

Incl. Academia ecclesiastica K̈asanensis, quem in ruderibus Byläriae urbis repertum servat, discum cum manubrio ex aere mixto factum, ab unà parte complanatum, ab alterà tum figuris tum inscriptione auctum, abhinc septem admodum annos ad me, K̈asani tunc versantem, mittebat, ut explicarem, rogans.

Accuratissimum hujus antiqui operis notabilissimi ectypon Museo Asiatico Acad. Imp. Scient. Petrop. a me illatum. Ex eo quidem verissimam ejus imaginem aere expressam Tabula XV. a. sistit.

Vides mediam disci aream occupari a duobus quadrupedibus ejusdem figurae, tergo obverso sursum tendentibus. Facies humana est, caput ornamento nescio quo auctum, alae erectae in flosculum abeuntes, cauda longa gemmis obsita; quae item collum cingunt et per ventrem procurrunt, in pedibus etiam adesse videntur. Mihi haud est dubium, quin haec gemina figura sit percelebrati illius Muhammedanorum fabulis *Boraki*, quo Muhammedani prophetam suum nocte unà Meccà Hierosolymam indeque per septem coelos raptum et

reductum esse tradunt. (¹) Id autem ita describit celeberrimus ille in traditionum sacrarum Muhammedanarum syllogis auctor vetus, Abu-Horeira: (²) *Ejus facies referebat faciem humanam, gena malam equi. — Oculi ex duobus hyacinthis ad instar stellae fulgentis radios emittebant solares. — Duas habebat alas, quales aquila. — Spiritu animam ducit, ut homo; audit, intelligit, neque tamen responsum reddere valet*, (si lectio sana). In codice meo libri (³) مشكاة الانوار فى لطايف الاخبار cap. 7. haec ejusdem descriptio habetur: قال الواقدى وهى دابة فوق الحمار دون البغل جسدها من ياقوت حمراء (احمر .l) وعنقها من زمرد اخضر وعيناه (وعيناها .l) مثل الزهرة ووجهها كوجه الانسان وقوايمها كقوايم البقر *Borak, inquit Wakidy, jumentum est, ut asino majus, ita mulo minus. Corpus ejus ex rubino, collum ex smaragdo, oculi ad instar stellae Veneris, facies humana, pedes bovini.* Atque hujus jumenti prophetici, et quidem cum ipso Muhammede insidente, imago passim in libris msptis Persicis obvia est, sed a pictoribus aliis alio modo variata. Veluti in Tab. II. apud Muradgea d'Ohsson (⁴) repraesentatur corpore quidem et pedibus equinis, sed ore foemineo, capite coronam gestante & pavonis caudâ. Simili fere figurâ gaudet in cod. Pers. aliquo

---

(¹) De hoc Mu'hammedis ascensu in coelum (معراج) cf. sis Maraccii Kor. p. 412. et *Prodr.* P. II. p. 17. Herbel. artt. Borak & Meradge. Bochart. *Hieroz.* II. p. 847. et inprimis Gagnier. ad Abulf. *de vitâ Mu'hammedis*. cap. 19. — Nomen براق *Borak* vulgo per αστραπαιον interpretantur, aut quia fulgore velocius fuerit, aut ob albedinem et splendorem. Reiskius autem ad Constantin. Porphyr. p. 124. a diversis coloris maculis sic dictum censet, quatenus omne ποικιλον, varium (scheckig), Arabibus est ابرق. Idem alio loco (*Allgem. Weltgesch. von* Guthrie u. Gray. Vol. VI. T. I. p. 77.) per *Grauschimmel* interpretatur. Nos nihil decernimus.

(²) Apud Gagnier. l. c.

(³) Auctor est علاء الدين على بن محمد vulgo notus sub nomine الفقيه الحافظ المصرى, mort. a. H. 877, teste Hadschi-Chalfâ in Bibliographiâ.

(⁴) In *Tableau général de l'empire Othoman.* T. I.

Bibliothecae Nanianae ([5]), at caudam bubulam habet. Aliae atque aliae ejusdem varietates, ab ingenio et lubitu pictorum profectae, in MSS. Musei Asiatici mihi oblatae. ([6]) Geminata autem, et nuda i. e. absque Muhammede insessore, ut in disco nostro, licet in nonnullis diversa, figura ejus acu picta est in tapeto Fatimidico apud Murr. in *Inscript. Ar. Pallii Imp.* Tab. aen. I. qnamquam Borakum nec Adler ([7]) nec Assemanius ([8]) agnoverint. Quid? quod quater repraesentata cernitur in amuleto *Musei Naniani*, quas et ipsas Boraki figuras esse Assemanium fugit. ([9])

Geminam Boraki figuram qui in disco nostro ambit titulus, elegantissimâ scripturâ Cuficâ eâque distinctissimâ exaratus, et linguâ Arabicâ ῥυθμικῶς compositus, hic est:

Gloria et perennitas	العزّ والبقاء
et felicitas et splendor	والدولة والبهاء
et celsitudo et laus	والرفعة والثناء
et fortunatissima conditio et altitudo	والغبطة والعلاء
et imperium et opum incrementum	والملك والنماء

([5]) Vid. Assemanii *Museo Cuf. Nan.* P. II. p. LXXIX.

([6]) Etiam leo ille, quo vehentem Muhammedem in pariete alicujus templi Georgiani repraesentari refert cel. Klaproth (*Reise in den Kaukasus.* II. p. 191.) haud dubie pro Borako habendus est.

([7]) In Murrii *N. Journal.* I. p. 186.

([8]) In *Memorie della Accademia di Padova.* I. p. 430.

([9]) V. *Catalogo della Biblioteca Naniana.* I. p. 25. et *Museo Cufico Nan.* II. p. CXXV. ibique Tab. IX.

et potentia et beneficia divina وَالْقُدْرَةُ وَالْآلَاءُ

possessori hujus in perpetuum sunto. لِصَاحِبِهِ أَبَدًا

Vocabulum ordine septimum الغبطة, genuinam si spectes notionem, *statum talem* indicat, *in quo esse et alii quam maxime exoptent: eine beneidenswerthe Lage.* Proprie enim غبطة denotat: *optare et desiderare potiri, iisdem bonis, quae alteri sunt, ita tamen, ut hunc neutiquam iis spoliatum velis.* Sic Scholiastes Heratensis ad *Burdam* v. 129. الغبطة ارادة نعمة مع عدم ارادة زوالها عن صاحبها Vide et Nuweir. apud Reisk. ad Abulf. *Ann.* II. p. 574, ubi, ut etiam in Pir Alyi *Wafajet* p. 48, a حسد *invidiâ* diserte distinguitur; unde mirari subit, qui per hoc vocabulum explicari potuerit ab auctore Kamusi, quamquam eum significatio illa modo adducta neutiquam latuerit, ab ipso dein subjecta: وتمنى نعمة على ان لا تتحول عن صاحبها. Jam vocabulum nostrum, quum vi passivâ sumtum, quam et ipsam nomini actionis inesse constat, idem valeat, atque *votis aliorum peti* s. *expeti*, et quidem (ut natura rei fert) propter bona, quibus quis gaudet, mox *statum, quem alii quoque sibi exoptant et expetunt* (Kamus: منزلة يغبط عليها), ideoque *statum bonum, opimum, fortunatum, beatum, sortem laetissimam* (Kamus: حسن الحال او المسرة) significat. Sic in Schult. *Monum. vet. Arab.* p. 2: وصرنا احاديثا وكنا بغبطة *abivimus in fabulam* (s. in ludibrium et contemtum), *postquam in statu, quo nemo non et ipse frui optabat*, seu *in statu fortunatissimo, constituti fuissemus.* ibid. p. 48 (coll. cl. Rasmussen, *Hist. praec. Arab. regn.* p. 33): وما غبطة حي الى الممات يصير *qui votis alterius expetenda est conditio*, s. *quaenam felicitas est, hominis viventis, qui se morti obnoxium esse novit?* Inde Arabismus recentior hoc vocabulum sensu summae felicitatis passim in titulis ordinis sacri adhibet, veluti in *Missali Graeco et Arabico in Wallachiâ* edito: المطران الكلي الغبطة *Metropolita totus sortis beatae* i. e. *beatissimus*, et in *Actis Concilii in monte Liba-*

no habiti in monast. Mar-Hannae edit: البطريك الكلى الشرف والغبطة *Patriarcha illustrissimus et beatissimus.*

Vocab. decimum sitne النجاء an النماء legendum, olim dubius haerebam. Sed posterius unice verum. Littera *m* a praecedente *n* casu nescio quo diremta. نماء autem de *augmento opum* dicitur, veluti in illo (apud Gol. ad Erpen. *Ar. l. Tyroc.* p. 266.) لكل ما تصلحه نماء وبناء *quidquid rite probeque institueris, id laete crescit perennatque.*

Voc. duodecimum الآلاء, vel sine art. آلاء, plur. est τε آلَا seu أَلْى *beneficium.* Articulo auctum, ut النعمة, *gratiam divinam* denotare solet.

Haec atque alia quum summe ven. *Academiae eccles. Kasanensi* exponerem, *) me prorsus latebat, similem discum jam editum et explicatum esse. Kasani enim constitutus summà librorum penurià premebar. Carebam et R. Pocockii *Description of the East* (cujus in Tabulà LVIII. Tomi I. similis disci, sed minoris, imago rudissima exstat) et libro *Voyage from England to India by* E. Yves (ubi p. 293. similior adhuc nostro, licet et ipse rudi Minervà aere expressus, cernitur, qui in ruinis Tak̈-Kesra (Iwan s. porticus Chosrois) haud adeo procul ab urbe Baghdad effossus erat). Carebam etiam libris: *Mémoires sur diverses Antiquités de la Perse p.* S. de Sacy (ubi p. 223. ab hoc viro praestantissimo profecta interpretatio disci Baghdadici ab Yvesio editi legitur) et Murr's *Beyträge zur Arabischen Litteratur* (in quibus p. 36. ejusdem disci interpretatio Tychseniana exstat). Quos libros postquam mihi datum esset inspicere, non poteram non mihi gratulari, quod vel tunc, minus adhuc exercitatus in palaestrà Cuficà, nullo usus duce rem acu tetigissem. Ad hunc autem discum Byläriensem, post Pocockianum et Yvesianum, in medium proferendum nos movit et summa, quà illi expressi sunt, ruditas, (quae in Pocockiano quidem ea est, ut vel Oedipus inscriptionem aegre cognoscat,) et quod

*) Vide *Leipz. Litt. Zeit.* 1815. N° 134.

egregiam et notabilem rem operis antiqui his in oris nostris repertam cives nostros latere noluimus, imo, eandem promendo in lucem, eorum animos ad similia in solo patrio oblata ([10]) advertere optavimus. Adde, quod restare videbantur, quae circa hujus generis discos non fustra observentur.

Jam mihi hic memorandus ille discus est, ab alterà parte complanatus, ab alterà tum figuris leporis, vulpis et cervi cum totidem canibus singulos singulis sectantibus, tum haud absimili inscriptione Cuficà, quae possidenti fausta comprecatur, auctus, quem haud procul a *Samarowid* apud *Ostjakos*, qui magnà eum veneratione colebant, repertum, aere expressum edidit Strahlenberg in libro: *Das Nord- u. Ostliche Theil von Europa u. Asia*, Tab. IX. Hujus inscriptio Cufica, a Kehrio ibid. p. 314 sqq. explicata, b. Tychsenio, uno tantum vocabulo excepto, recte habere visa est. ([11]) Vocabulum, in quo uno erratum esse censebat, inscriptionis primum apud Kehrium quidem, quamquam ad veram rationem extremum, est. Id a Kehrio لطالبه *quaerenti ipsum* (Deum) lectum Tychsenius لصاحبه *possessori hujus* legendum esse monuit. Recte omnino. Sed idem, qui fieri potuit, ut plura alia a Kehrio in hoc titulo interpretando peccata non animadverteret! Kehriana autem lectio et interpretatio hunc in modum habet:

لطالبه بركة وثمر وسرور وسعادة وكرامة وتنبر واستقامة
وتابيد وتمكير وسلطان وثناء وبقاء

„(Es wird von Gott gegeben) *dem, der ihn suchet, Seegen, und Menge* (an Früchten, oder viele Güter), *und Fröhlichkeit, und Seligkeit, und Ehre, und Erleuchtung* (od. Ruhm), *und Bestand* (oder Wohlseyn), *und Verewigung und Vorrath an Getreyde* (od. an Lebensmitteln) *und Lob, und langes Leben.*"

([10]) Conf. Pallas *Reise durch versch. Prov. des Russ. Reichs*, 2te Aufl. Th. I. p. 127.

([11]) Vid. b. Murrii *Beyträge* &c. p. 36. et ven. Hartmanni *O. G. Tychsen* &c. T. II. P. II. p. 124.

Ad hanc interpretationem haec notare sufficiet. Quod Kehrius ثمر legit tertium juxta ipsum vocabulum, يمن legendum est. *Fructum* quidem Arabibus etiam opes varias copiosasque designare, philologi annotârunt; sed fausta precantibus sane quam insolens est. Contra يمن *prosperitas* hac ipsâ in caussâ adhibitum supra p. 27. & 32. etiam vidimus. Ceterum litterarum ر et ن una eademque figura est in hujus generis charactere Cufico. Cf. سلطان et سرور.

Septimum apud Kehrium, nobis quidem sextum, vocabulum ab eodem تنير lectum, et *illustratio* s. *gloria* explicatum, recte habere nego. Transscribere quidem hoc modo licet, sed تنور, non تنير, infin. formae V. verbi نار est; quamquam و et ى in verbis concavis nonnunquam promiscue adhibeantur. Neque tamen, quod ei substituam rectius, jam succurrit. تبين aeque bene legas quidem, sed non satis commodo sensu. Suspicor hic prorsus aliam legendi rationem latere. Fieri potest, ut delineatio hujus vocabuli minus recte habeat, atque in his ductibus lateat عمر vel يسر vel تميز vel aliud quid a سن vel سر alienum.

Vocab. nonum, nobis octavum, non cum Kehrio تابيد, sed تاييد i. e. *corroboratio*, *confirmatio*, *robur* divinitus tributum, legendum censeo.

Voc. decimum, quod nobis nonum est, a Kehrio lectum تكثير et versum: *frumenti aliusque victus copia in futurum congesta*, non magis, quam ثمر *fructuum copia* hujusmodi apprecationibus convenit. Lege تمكين i. e. *compotem, potentem reddere, stabilire*, mox passive: *potens redditus esse*, *potentia*. Utuntur eo passim fausta precantes, veluti زاده الله علوا وتمكينا *Deus eum celsitudine et potentiâ augeat!*

Vertendus igitur hic titulus ita est: ***Benedictio**, et prosperitas, et laetitia, et beata sors, et honor, et ... et status nullâ ex parte laborans* (s. *ex omni parte recte habens*), *et robur, et potentia, et imperium, et laus, et perennitas sint possessori hujus*...

Istos autem discos uni eidemque usui destinatos fuisse, ex formae pariter atque rationis similitudine patet.

Is qui fuerit, silentio pressit Yves, memorans tunc quidem discum Baghdadicum vasi fictili alicui operiundo serviisse. Pocockius, quem edidit, Aegyptiacum pro sigillo habuit. Temere. Strahlenbergii sententia ferebat, discum a se editum esse insigne seu tesseram militarem, quales quatuor, *tscharinä* dictas, in pectore dorsoque et super humeris e collo suspensas olim gesserint duces Tatarorum bellici, quo signo distincti prae militibus eminerent. Adisis *Das Nord- u. Ostl. Theil von Eur. u. Asia* p. 317, ubi *tscharinä*, ex چار (pro چهار) *quatuor* et آيينه *speculum* compositum, *quatuor specula* denotare scite observat Kehrius. At nobis non oblatus est, qui ejusmodi insignium morem apud Tataros unquam viguisse testetur, auctor; nam Marcum Paulum Lib. II. cap. 7. ut huc traham, a me impetrare nequeo; nec de appellationis *tscharinä* fide mihi constat, licet چهار اينه in *Lexico* Richardsoniano a Wilkens. per „a kind of armour" explicetur.

Nos quidem probamus virorum doctissimorum sententiam, quae hoc genus discos pro *speculis* habendos esse fert. Atque constat, ut Sinenses, ita populos Orientis Muhammedanos, ad nostram memoriam usque speculis aeneis argenteisve uti solere, licet inde a tempore instituti cum Europaeis commercii nec vitreis careant. (12) Nec inest his, de quibus agitur, discis antiquis, quod, quominus ad hunc usum olim adhibitos esse statuamus, impedit.

Latus unum Byläriensis quidem (Strahlenb. & Yves hanc rem de suis discis annotare neglexerunt) laevigatum & politum vidi, quamquam longâ die infectum et obscuratum.

Manu ut teneri queat, idem Byläriensis noster manubrio instructus est; quae haud scio an speculorum metall. longa antiquissima

(12) Vide quae de hoc argumento retulit Chardin *Voyage* &c. ed. Langlès T. IV. p. 140.

forma fuerit ([13]). Eo licet reliqui careant, Baghdadico tamen in medio latere postico umbilicus est, perforatus ille ad indendum annulum scilicet; in Strahlenbergiano autem geminum foramen per ipsius marginem actum eundem in finem, ut putare convenit.

Latus posticum non quidem vacuum relictum, sed tum figuris tum inscriptione ornatum esse, non est, quod mireris. Hoc nimirum Orientalium mos probat. Exstant etiam eorum vasa, pocula, arma et quae id genus alia sunt, in quibus eundem exornandi morem obtinuisse videmus.

Est autem hoc latus posticum margine prominente munitum, ne, sicubi discus deponatur, figurae et inscriptio laedantur.

Verum enim vero inscriptionum ratio quî, inquit, speculo convenit? — Ex nostro quidem ingenio si rem judices, parum convenire videatur. Sed aliud fert Orientalium mos. Apud eos alia quoque utensilia ejusmodi inscriptionibus, quo possessori fausta omnia nuntiantur, aucta deprehendimus. Exemplum habe Lampadem Byläriensem supra a nobis illustratam.

At si specula, ut par est, maxime muliereulis, utpote cultus mundique curam prae viris habentibus, destinata esse negari nequit, quî fit, ut in omnibus hisce inscriptionibus non quidem foeminarum, sed virorum mentio facta sit? cur in iis لصاحبه *hoc possidenti viro* (dem Besitzer dieses), non autem لصاحبته *hoc possidenti foeminae* (der Besitzerin dieses) ([14]) legimus?

Ita probabiliter quidem objeceris; sed videtur hoc, quidquid est, difficultatis imminui atque adeo tolli, si viro, utpote domino heroque, praerogativam deberi cogitamus, ut ei suppellex, utut mulierculararum suarum usui cumprimis destinata, inscribatur; porro vo-

---

([13]) Conf. ♀ signum astronomicum Veneris.

([14]) Ill. quidem S. de Sacy in speculo Baghdadico لصاحبة عزا *mulieri, cujus hoc est*, legerat (v. *Mémoires* &c. p. 223 sq.). Sed diu est, cum vir doctissimus hanc retractavit lectionem. Distincte enim et illud speculum τo لصاحبه ابدا *hujus possessori in perpetuum* prae se fert.

cabulum صاحب *possessor* latiore sensu de utrovis sexu, si utique oporteat, adhiberi posse; denique si ingenii morisque Orientalium recordamur, quo fere foeminarum suarum disertam mentionem facere verecundantur.

Facere tamen non possum, quin in hujus generis discis subinde aliud etiam consilium obtinuisse videri moneam. Scilicet Talismanorum etiam vices sustinuisse eos puto. Huic quidem opinioni fidem facit similis aliquis discus longe notabilissimus editus in Vol. II. libri: *Fundgruben des Orients* p. 100, qui, nomini alicujus regis Ortok-Schah inscriptus, non solum XII signa zodiacalia, quorum sane ratio habebatur in talismanis conficiendis, sed etiam in inscriptione alterâ, quae quidem circuli interioris est, necdum proh dolor ad liquidum perductâ ([15]), obvium vocabulum طلسم *tilsem* i. e. *Talismanus*. Quid? quod in ill. *Hammeri* libro *Encyclopaedische Uebersicht* &c. p. 511. ex عرايس العيون لاملى notatum legimus: *Talismanum*, qui largam pluviam vel solem propitium agris conciliet, fundi oportere ex aere in *speculi aerei formam*. Accedit, quod, qui in Aegyptiaco, Baghdadico et nostro Byläriensi cernuntur Boraki, iidem nobis offeruntur in disco Musei Naniani (Tab. IX. 5.) supra jam memorato, quem quidem talismanum esse cifrae Kabbalisticae in altero ejus latere obviae evidenter demonstrant. Addo denique, Kasani olim mihi oblatum tetragonum parvum orichalceum eâ ipsâ magnitudine, quam figura, aere expressa ex ectypo ichthyocollaceo, in Tab. XV, b. conspiciendam praebet ([16]), ab unâ parte complanatum, ab alterâ autem inscriptione illis, quas supra in discis nostris legimus, non absimili auctum; quod quominus pro speculo habeas, ut aeris ratio et modulus exiguus prohibere, ita eadem, ut talismanum ([17])

([15]) Conf. ven. Hartm. l. c. p. 202.

([16]) Archetypo quid jam factum sit, ignoro. Ectypon ejus supra memoratum Museo Asiat. a me illatum est.

([17]) Aedium suarum a clade incendiorum tuendarum fundamentis supponere solent Tatari nostri.

potius esse putes, suadere videntur. Inscriptionem autem, ab epithetorum colore poëtico memorabilem, hunc in modum legendam esse censeo:

عزّ دايم واقبال سالم (18)
ونصر غالب وجدّ صا
عد وعمر طويل وحظّ
جزيل وبقاء لصاحبه

Gloria perennis et prosperitas integra (s. consummata)
et victoria praevalens et fortuna in altum tendens et vita longa et sors ampla et perennitas possidenti hoc.

Additamentum.

Diu post haec scripta mihi oblatus est liber splendidissimus, inscriptus: *Monete Cufiche dell' I. R. Museo di Milano* (Milano 1819.), cujus frontem speculi, quod nostri alterum quasi exemplar dixeris, ornat effigies elegantissima. Idem titulus, iidem characteres, eaedem figurae, eadem ornamenta interspersa. A nostro non nisì ansà, quae hîc mediae areae aptata, differt.

---

(18) In hujus vocabuli Elif, caudâ aucto a sinistrâ, noli offendere. Haud raro haec littera sic porrigitur infra. Exemplum si desideras, habe e multis unum in voce القابر Epitaphii, quod in Rosarii Gregorii *Collectione* &c. p. 143. exstat.

Ad ejus interpretationem, quam ill. Comes **Castiglioni** l. c. p. LXXXIX sq. exhibuit, haec pauca observare non alienum erit.

1) Sphinges vocantur, qui nobis Boraki sunt.

2) Secundum tituli vocabulum, siquidem effigiei aere expressae fides habenda, النا male pro البقا exaratum est. Deinceps autem النما, quod in nostro minus perspicuum, hic distincte expressum.

3) Vocabulis nonnullis notiones, quae non conveniunt, tributas esse video: scilicet الغبطة quod hic „*contento*“, الملك quod „*magnificenza*“, et الالا• quod „*magnanimità*“ versum. Etiam erratum est in transscribendo et vertendo vocabulo inscriptionis penultimo لصاحبة „*alla posseditrice* (scil. di questo)“, qualem ellipsin hac in caussà lingua Arabica neutiquam admittit.

Denique speculi a **Strahlenbergio** editi interpretatio apud **Murrium** (in *Beytr. zur Ar. Lit.*) obvia minus recte **Murrio** tribuitur et omnibus absoluta numeris habetur.

ASTROLABII NORIMBERGENSIS

SAEC. XIII. P. C. N.

INSCRIPTIO CUFICA

NOVIS POST TYCHSENIUM CURIS TRACTATA.

Astrolabium hoc, quod olim Io. Regiomontani erat, nunc in bibliothecà Norimbergensi publicà asservatur, paucis descripsit b. Murr. in *Memorabilibus bibliothecar. publ. Norimb.* &c., in *Journal für Kunstgesch. u. Litterat.* XV. p. 333 sq. et p. 388. et in Diss. cui titulus: *Inscriptio Arab. Pallii Imper.* p. 26 sqq. (¹) Ut in priore libro, ita in posteriore tituli Cufici ipsam imaginem ligno incisam habes. O. G. Tychsenius, quae in anteriore Astrolabii parte cernuntur, sic legit:

صنعة السهة الاسترلاب النيسابور ه

„*Artificium arcuum* i. e. artificiales arcus) *Astrolabii Nisaburiensis.* V." (²)

Quae autem in dorso Astrolabii, ita interpretatus est:

عمل برسم الراية الملك الظفر تقى الدين

„*Confectum fuit delineatione ad vexillum* (i. e. auspiciis) *Almalek Almodhaffer Takieddin.*"

Sed haec ex magnà parte claudicant. Nec سهة *arcus* significat, nec in regimine positum haberi potest, utpote articulo auctum; nec النيسابور pro النيسابورى scribere licet; nec ه si utique pro tali habendum, numerum 5, sed 3 (scil. loco τοῦ ج) significat; nec de-

(¹) Cf. sis Hartmanni Vit. Tychsenii saepe laudatam T. II. P. II. p. 152.

(²) „Quintus, nimirum arcuum s. circulorum mobilium."

nique برسم الراية *delineatione ad vexillum* denotat, neque hoc idem valere potest ac *sub auspiciis*, nec, si valeret, ob articulum cum proxime sequentibus jungere licet.

Mihi utriusque partis inscriptio hunc in modum legenda videtur:

صَنَعَهُ السَّهْلُ الأَسْتَرْلَابِىُّ النَّيسَابُورِىُّ

Confecit hoc es-Sahl, Astrolabarius Nisaburensis.

عُمِلَ بِرَسْمِ خَزَانَةِ المَلِكِ المُظَفَّرِ تَقِىِّ الدِّينِ

Factum pro Museo Melik-el-mufzafferi Taky-ed-dini.

Quod السهل *es-Sahl* transscripsi, nullam omnino dubitationem non relinquit, tam ob extremam litteram minus distinctam, quam ob articulum huic nomini additum; nam *Sahl* absque articulo, ni fallor, dici solet. Quamquam nomina propria, quae primitus appellativa fuere, alia quoque offeruntur articulo nunc aucta nunc destituta. Apud Ibn-Challekanum quidem nobis offertur aliquis سهل النيسابورى *Sahl Nisaburensis*, sed theologus est, et, quod plus est, nostro longe prior.

Extremum vocabuli tertii بى transscripsi, caudam quidem τῦ ى sub litteram ب, ut passim fieri solet, reflexam cum ipsa inscriptionis basi coaluisse censens. Numi Cufici in فى, السنكى aliisque exempla praebent. Sed insolita mihi *hic* quidem accidit littera ب hujus vocabuli ab omni apice nuda; id quod dissimulare nolui.

In ductu, quem pro ب Tychsenius habuit, mihi ى latere videtur.

Vocabulum septimum خزانة, non الراية esse, haud ambigendum est. Formula برسم الخزانة in hac caussa solemnis. Redi ad pp. 43. 45. ubi exempla allata sunt.

Principem autem, cujus in usum hoc astrolabium factum se esse fatetur, *Melik-el-mufzaffer Taky-ed-din* Tychsenius

et Assemanius ([3]) filium fratris Sala'h-ed-dini (Saladini), mortuum a. H. 587 (= 1191 p. Chr.), esse volunt. Sed moneo, titulum et cognomen honorificum Melik-'el-mufzaffer Taky-ed-din tribus Aijubidis, principibus 'Hamatensibus, commune esse, quorum unus proprio nomine *Omar* († a. 587.), secundus *Ma'hmud* († a. 642.), tertius item *Ma'hmud* († a. 698.) audiebat. Equidem, quem medio loco memoravi, hic intelligendum esse censeo. Eum enim *Abu'lfeda* in *Annall.* T. IV. p. 478. ipsis etiam scientiis mathematicis deditissimum disertis verbis descripsit: „*Erat vir alacer, fortis, sagax, acer ingenio, amabat homines eruditos et elegantes. Inter ceteros operibus suis exsequendis adhibebat Scheichum Alem-ed-dinum Kaifarum* ([4]), *vulgo Taasifum dictum, geometram, in mathematicis exercitatissimum, qui plures ipsi turres Hamatae condidit, et molam frumentariam ad Orontem, et sphaeram ligneam inauratam, in qua stellas omnes, quae aut solent aut possunt observari, designaverat.*"

([3]) Vide: *Sopra le monete Arabe effigiate in Memorie della Accademia di Padova*, I. p. 431.

([4]) De quo vide supra p. 42. not. 26.

INSCRIPTIONIS CUFICAE

ACU PICTAE IN LINTEOLO INSERTO

CODICI EVANGELIORUM LATINO COENOBII St. MICHAELIS LUNEBURGAE

NOVA INTERPRETATIO.

De hac inscriptione agunt L. Gebhardus in *Diss. saeculari de re litterariâ coenobii St. Michaelis in urbe Luneburgâ* (1755.) p. 20. et b. Tychsenius apud Murrium, tam in *Journal für Kunstgesch.* &c. XV. p. 329 sqq. et in *N. Journ.* I. p. 173 sqq., quam in *Inscript. Ar. Pallii Imp.* p. 25 sq. (*) Imaginem tituli repetitam a *Murrio* vide in libro postremo loco memorato.

Titulum hunc, tantum abest, ut cum Tychsenio lectu aeque difficilem ac illum, qui in fimbriâ Pallii Imp. Germ. inaug. conspicitur, ut eo multo impeditiorem esse pronuntiem. Non solum mancus est et in ipso quidem medio, sed litterae etiam passim contra solemnem morem ornatae, quid? minus accurate (ut videtur) expressae. Hunc nodum postquam J. D. Michaëlis & Reiske solvere frustra conati essent, Tychsenius noster aggressus est. Et hic quidem in eruderandis primis et extremis bene rem gessit, male autem in iis, quae medium locum occupant. Legit autem hunc in modum:

بســـم الله الرحمن الرحيم وما توفيقى الا ب = = يوتوك ابو
موبد العزيم العطب مومن ابن وكل (هدل vel) رعه الله
رقم واجر بيته ان الله مع الذين اتقو والذين محسنين

(*) Adde ven. A. Th. Hartmannum in vitae Tychsenii saepius citatae T. II. P. II. p. 145 sqq.

quae ita vertit:

In nomine Dei misericordis clementis. Et non auxilium meum est nisi in Deo — *donabitur tibi. Abu Muid Elazem Elatab Mumen ben Wakkel* (s. *Hudal*), *cujus familiam Deus protegat, insignem reddat et compenset. Sane Deus cum iis est, qui eum venerantur, et bene faciunt.*

Quaecunque hic media litteris distentis insignivi, male lecta sunt, id quod vel plane barbarus, quem in iis offendimus, modus loquendi Arabicus arguit. Taedet hoc demonstratum dare. Sufficiet hanc meam lectionem veram iis substituisse:

بســـم الله الرحمن الرحيم وما توفيقى الا بالله عليه توكلت وهو رب العرش العظيم (¹) ومن (²) يتوكل (³) على (⁴) الله فهو (⁵) حسبه (⁶) (*) ان الله مع الذين اتقو (⁷) والذين هم محسنون

In nomine Dei misericordis et clementis. Non secundantur res meae nisi a Deo; *ei confido, throni magni possessori* ([1]). *Et quisquis Deo confidit, habet, quod sibi sufficiat* ([6])*; nam Deus adest iis, qui ipsum verentur, et recte vivunt.*

([1]) *Koran.* IX. 130. ([2]) Cauda litterae ن in altum reflexa. ([3]) Cauda litterae ل male diremta. Et alibi ipsa litterarum corpora divisa, ut in العرش ــ س ([4]) ء minus distincte expressum. ([5]) Littera و in altum protensa, simulque infra ductu sinuoso aucta, quem passim in hac inscriptione symmetriae caussâ ab artifice additum deprehendimus. Habes e. c. initio vocabuli proxime sequentis حسبه, (cujus ــ male divisa, ut supra in العرش notavi), item in post

(*) Haec eadem verba quin iis, quae Olearius (*Reisebeschreib.* ed. 1656. p. 421.) e pariete mausolei alicujus descripsit, substituenda sint, mihi non est dubium. Nam quae apud eum leguntur توكل على الله فهو منه, neque eum, quem ille tribuit, nec alium idoneum sensum habent.

haec sequenti ـف, cujus cauda et ipsa in altum protensa. (6) *Ḱor.* LXVII. 3. Reliquos locos e Ḱorano desumṯos Tychsenius jam indicavit. (7) ا deest.

Haec quidem hactenus. Monasterii autem St. Michaelis curatores venerabiles, ut hanc meam cimelii ipsorum Cufici interpretationem Tychsenianae, si tanti est, seu addant seu substituant, oratos esse volo.

ANALECTA CRITICA

AD

CIPPI PANORMITANI

A. P. C. N. cIↄlxxxvii.

TRANSLATIONEM TYCHSENIANAM.

In *Novorum Actorum Regiae Societatis Scientiarum Upsaliensis* Volumine VI. pagg. 328 — 332. editum exstat *Periculum Translationis Cippi anecdoti Panormitani auct.* O. G. Tychsen, in quo restare nobis videntur, quae vel emendatione vel annotatione egèant.

¹) Vocabulum لرحمن in cippi Tabulà aen. adjectà litteris retrogradis exaratum cernitur, quod mendum fueritne jam in ipso cippo, an chalcographo hallucinanti debeatur, optimus Tychsenius annotare supersedit.

²) Nec اله, quod alterum mendum post رسول cernitur, utri debeatur illorum, indicatum est.

³) Ejus, cui hoc monumentum conditum est, nomen a b. Tychsenio رمحن *Romhan* lectum mihi quidem quam maxime insolitum accidit. Censeo potius مختار *Mochtar* legendum esse.

⁴) Formulam faustae comprecationis, defuncti nomini adjectam, *T.* legit قد بين الله روحه, quae vertit: *cujus spiritum Deus certo selegit.* Verum enim vero nec بين hac notione gaudet, nec particulae قد in faustis apprecationibus locus est. Omnino legendum قدس الله روحه i. e. *cujus spiritum Deus sanctificet*, quà precationis formulà passim defunctos prosequuntur Muhammedani, veluti *Bord.* ed. Uri p. 2. *Vit. Salad.* ed. Schult. p. 2. inf. Nec

dubium mihi est, quin ibid. p. 7. versus med. pro قدس الله عنه eodem modo legendum sit.

[5]) In يوم السب, quod *T.* transscripsit يوم الست vertitque *feriâ sextâ*, etiamsi ita tulerit cippus, omnino latet يوم السبت i. e. *die sabbati* s. *feriâ septimâ.*


[6]) Pro وخسامية scribendum وخمساية. Littera *m* secundo loco posita evanuisse videtur.

[7]) Dies XIIX. mensis VI. (Dschumadi II.) a. H. DXXXI. non respondet diei XXIV. Maji a. p. Ch. MCXXXVI, sed d. XIII. Martis a. MCXXXVII.

Quod restat, in Epitaphii Melitensis Interpretatione (*Mémoires de l'Acad.* T. VII. p. 494.*)) supersedere potuissem annotatione, in Cippi Cuf. Mus. Antiq. Lond. lin. 3. et 5. legendum esse وفي محن — اسوة وعزاء; nam ab ipso Tychsenio in hac suâ cippi Panormitani translatione recte sic jam emendatam esse pravam lectionem antea ab eodem propositam video. Id quod hoc loco monere meum esse duxi.

*) Seu *Antiq. Muh. Mon.* Part. I. p. 14.


13.
15.


9
a

b





a